















DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 446,641
COLLECTION

In diesem Buch
eingebunden:
Nicolas Guibertus
de interitu Alchymiae
Tulli 1614.

Guibertus war geboren
1547 zu St. Nicolas de
Port in Lothringen
gest. 1620. Er war Arzt.
Siehe Ferguson Bibl. Chem.

Verfasser der ersten, hier
unvollständigen Schrift, ist
nach Ferguson: Gaston
Duclo
geb. 1530.



PHILOSOPHIA CHYMICA TRIBVS TRACTATIBVS comprehensa.

QVORVM SERIEM SEQVENS pagina indicat.

OPVS DOCTISSIMVM,

Et nunc primùm integrum in lucem Editum.

AVCTORE

GASTONE DVLCONE CLAVEO, Subpræside NIVERNENSI GALLO.



LVGDVNI.

M. DC. XII.



SERIES TRACTATVVM *huius Philosophiæ Chymicæ.*

I Apologia Chryſopœiæ & Argyropœiæ aduerſus Doct. Thomam Eraſtum, in qua diſputatur & docetur, An, quid, & quomodo ſit Argyro-Chryſopœia.

II De triplici præparatione Auri & Argenti huic Arti ſummè neceſſaria, vera & non fucata demonſtratio.

III De vera & recta ratione progignendi Lapidis Philoſophici, ſeu Salis Argentifici & Aurifici, dilucida & ſyncera explicatio.

His adiecti ſunt Canones decem, totius operis Baſim conſtituentes.

CVM

Bernardi G. Penoti, à Portu S. Mariæ Aquitani Epiſtola, præfatione, & marginalibus Annotationibus.

SERE-





SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, MAVRITIO LANDTGRAVIO HASSIÆ, COMITI CATZENELLENBOGEN DIETZ, ZIENGENHAM, ET NIDDA, Excellentissimo. Domino suo Clementissimo.

IMPVDENTIS profectò, non probi viri, sit (Illustriss. Princeps) aliorum sibi opera vendicare, eaque pro suis ædere. Huius igitur libri quem SEREN. T. CELSITVDINI audeo offerre, cùm author non sim: imò is sit alterius, qui eius partes aliquas ante suũ è viuis excessum quibusdam viris cõsecrarit, ne Plagiearius censear, aut temeritatis iure argui possim, ILLVSTRISS. T. CELSIT. cõsilij mei de edẽdo, déque illi offerẽdo libro rationes exponere cõstitui. FRANCKENTALII annis ab hinc plus minus tribus agens, cùm iucundissima fruerer cõsuetudine IOHAN-

NIS BARTHOLOMAEI BVRGGRAVII Landtſcribæ Noſtadienſis, viri Doctrina & pietate ornatiſſimi, quique ſcripta mea præſertim Apologiam pro paracelſo aduerſus Thomā Eraſtum, & alios cādidatos negātes Metalla quoquo modo parata, humanæ naturæ prodeſſe, legerat. Is aliquādo à me quæſiuit, Num doctiſſ. GASTHONIS Clauei librum aduerſus THOMAM Eraſtum legiſſem. Neganti id mihi, librū ipſum non modo obtulit, ſed etiam in perpetuū amicitię monumētum dono dedit: ea tamen lege, vt lectū in publicū ederem: affirmās primam eius partē nulli hactenus conſecratam. Accepi cum libro cōditionem, miſſiſq. aliis omnibus ſerio lectioni incubui. Et inter legendū Marginales annotationes addidi. Cumq. ex ſeria lectione deprehendiſsē authoris animum fuiſſe, nō in tenebris librū abdere, ſed omnibus ſcientiæ filiis ipſum cōmunicare, vt lib. 2. cap. 38. & circa huius Apologiæ finem author teſtatur (in-

quiens

quiens) quòd ſi ea quæ prioris quæſtionis, & confirmationis ſtabiliendæ gratia ſcripſi vobis, qui hæc perlegatis, grata intellexero. De cæteris quoque quæſtionib. Deo O Max. fauẽte, luculentius poſthac aliquid editurũ eſſe. Idq. abſtruſum magis, & maiori admiratione dignum, omniumque vtiliſſimũ: & alibi idem author, Forſitan qui hæc perlegẽt ante aut poſt obitum noſtrum noſtri memores erunt. Cùm hæc animaduertiſſem à quibuſcunq. potui typographis percunctatus ſum, num typis excuſum alicubi ſcirẽt. Hoc cùm inficiarẽtur, eximios tanti viri labores diutius latere, & Chymicæ ſtudioſos eorũ lectione priuari æquũ non eſſe exiſtimaui. Et eſt reuera, hoc noſtrũ ſeculum impoſtoribus plenũ, qui nec ipſis Principib. ne dum infimæ ſortis hominib. parcũt. Video enim reges, & Magnates ab iſtis Agyrtis decipi, qui ementitas & ſophiſticas chymiæ artes, põpoſa ſpecie vendentes, illos argento emungũt: vnde fit, vt ingẽs

numerus,tum ſophiſtarũ,tum ſophiſticarũ fraudũ quotidie oriatur, ob quas,ars chymiæ laudatiſſima, non ſolùm detrimentum patitur,opprimitur,adulteratur , ipſíque chymiſtæ inuiſi omnibus reddũtur,vitam, tempus,ſumptúſque in vanas operationes fruſtra impendentes,ſed& in reſpub grauiſſimadamna redũdant. Ea ſi quidem eſt multorũ vafricies, vt ſimulata experientia in chymicis, ficta amicitia,pollicitationib. variis, fraudulenter ab aliis artes expiſcentur,eáſque ſibi vendicent, &venales circũferant,quæ ab aliis magna poſtea redimũtur pecunia. Expertus loquor:abs me.n.eiuſmodi nebulones aliquando extortos de chymia manu ſcriptos cõmentarios,ingẽti poſtea pecuniæ vi,vt proprios diſtraxerũt.Peſſimũ genus hominũ. Quodq. ſi à Magiſtratu pro merito plectere-tur,minus eſſet fraudiũ : minus artis diſcipuli hallucinarẽtur, breuiq́ ars vera& ſyncera ex laruis illis ſophiſmatum emergeret.Ego iſti malo,vt

pro

pro mea virili remedium afferrem Gastonis CLAVEI librum in tenebris diutius latere non passus sum, edendúmque curaui. Quod & superioribus annis etiam à me præstitum est, in aliis eiusdem argumenti opusculis quibusdam, quæ dedicare haud veritus sum, SERENISSIMIS ET POTEN. PRINCIPIBVS, ELECTORI PALATINO: CHRISTIANO ANHALDINO: ET ERNESTO FRIDER. Marchioni Badensi, qui tractatus Serena ad modum fronte à tantis Principibus excepti fuerunt.

Cùm verò diu multúmq. cogitassem cuius patrocinio vtendum mihi foret, isti vt libro gratiã & authoritatem cõciliarẽ LANDGRAVIORVM HASSIAE familiæ mihi in mentẽ venit, quæ cum seculis omnib. Germaniæ Decus, patriæ lumen, Musarum Domus, Religionis propugnaculũ fuerit: In eaque excelluerint Heroes illi sanctissimi, parens & AVVS tuus, Christiani orbis clarissima lumina: qui hostium Ecclesiæ Tyrannidi to-

ties ſeſe obiicere non dubitarunt. Auitarum verò virtutum, heredem te, & poſſeſſorem viderem, qui Marti & Mineruæ, ſimul ſacra faceres, liberalitatéq. erga exteros, omnes Principes facilè vinceres. Idque cum SEREN. Angliæ REGINA cõmune haberes, vt omnium gẽtium, omnium idiomatum probè gnarus, cum omnibus poſſes abſque interprete colloqui: prætereà in omnibus & ſingulis eſſes vſq. ad miraculũ inſtructiſſimus. Iſtã verò Philoſophiæ Chymicæ partem, ſic calleres, vt in ea mortales omnes facilè antecellas, patrocinium iſtud T. CELSITVDINI, non ſine ratione cõmittendum exiſtimaui. Tibi igitur (qua par eſt reuerẽtia) hoc Munuſculum (ſuo tamen ſale conditum) Dedico, vt aliquod à me grati animi indicium habeas. Vnum eſt, quod vereri debeam, ne ſcil. mihi ſuccẽſeas, quod ſacra noſtræ artis myſteria vulgo promiſcuè pandere videar. Sed cùm omnia ab authore ſcripta, ita eſſe cogitabis, vt propha-

nos

nos latere possint, Tuæque CELS. iisque Solis qui ad PARNASSI verticem pertigerint, pateant, boni consules, quicquid hic à me factum est. Cæterum si quid post hac te dignum nancisci potero, id lubens impartiar. Accipe (Principum Clarissime) quod pro tenui nostra facultate conferimus, & maiora deinceps obsequia splendidioresque fructus expecta: DEVS OP. M. Tuam CEL. cum SERENISS. coniuge ad nominis sui gloriam diutissimè sospitet. Vale, Yuerdini.

CELSITVDINI TVÆ
addictissimus.

BERNARDVS G. PENOTVS
A PORTV S. MARIÆ
Aquitanus D. P.

AD AVTOREM HVius Apologiæ.

Naturæ auriferas vires dū tentat Erastus
Inscitiæ iaculis euertere, percitus œstro
Inuidiæ, clarā illustrat malè prouidus artē:
Námque ex parte cauens libro maledicta refellit
Cloueus emisso, quo tela retundit Erasti
In caput: Et recipit demptum Argyropœia nitorem.

I. L.

Ad eundem.

Quid liber inuicto duce stas? defecit Erastus
Nec potuit fixo sistere in arma pede,
Quid metuis frustra valuis inhiare? recessus
Et loca quæque tibi nobiliora patent.
Magna canis, magni est meriti decorarier isto
Munere: Quis magnos ista decere neget?
Ergò age, luce tua lucens audentior ito,
Principis inuicti nomine tutus eris.

I. B. A.

Ad eundem.

Chrysopœia libris Medici dānatur Erasti,
Quam

Quã nec dente premat liuidiore Thean.
Sed tanta illatum repulisti deducus Arti
Compresti rabidas inuidiæque faces.
Chrysopœia etenim per te rediuiua nitescit,
Iamque viget libris Argyropœia tuis.
Sic feret auratis te in cœlum gloria pennis
Et studij capies præmia digna tuis.

Guilielmus Dubroc Adolescens.

Ad eundem.

Sit tibi nulla licet suscepta ex coniuge proles,
Viuere qua possis, non moriere tamen.
Auriferas peperisti artes prædiuite Musa
Argyropœiæ etiam diceris esse parens.
Hæc tibi perpetuos decus immortale per annos
Addent, legitimæ prolis & instar erunt.

Stephanus Gasconius Adolescens.



AD LECTOREM.

BERNARDI G. PENOTI A PORTV S. MARIÆ AQVATAN. PRÆFATIO, in qua omnem totius artis potentiam & efficaciam in duobus consistere verbis osten dit.

NON *est (amice lector) quod refricem diu agitatas illas quæstiones, quibus quæritur: An Ars transmutationum sit vera: cum anno proximè præterito, id grauissimorum virorum testimoniis, & authoritatibus, satis supérque probauerim, quum huius argumenti, plures sint libri editi: Lectores itaque ad eam remitto præfationem, quam non ita pridem, ei Dialogo, qui est inter Naturam & filium philosophiæ præfixi. Ridiculum verò foret, si in præsentia repetitionibus vterer: siquidem Author libri huius* CLAVEVS *aduersus* THOMAM *Erastum disputās, eiúsque argumenta omnia solidè refutans, firmissimis tum rationibus, tum demonstrationibus, (adde & certis experimentis)*

Artem

Artem veram certam & facilẽ esse ostendit, & confirmat. Quapropter qui authoritatibus & exemplis veritatem Artis tibi probari vis (Lector) huius CLAVEI *librũ percurre. Sed antequam operari incipias, rerum naturalium causas prudenti consilio perpende, aut noli rem aggredi. Incauti prima fronte hunc librum intuentes, implicabuntur. Tu (Amice lector) magno cum iudicio, lege, relege, ora, labora: & Deus Mysteriorum autor tui miserebitur. Hoc vnum te latere nolo, omnem potentiam & totius artis efficaciam, in duobus consistere verbis, nimirum,* SOLVE *&* COAGVLA.

Solutio duplex est. Prior soluit corpora in Mercuriũ, id quod fit per Mercurium, Et inuenta est ad particularia, quam istius libri Author sequitur. Altera verò in aquã Mercurialem, Hæc ad opus vniuersale pertinet. Estque transmutatio quædam corporum metallicorum in ipsorum primam materiam. Quam doctus huiusce operis Author negat fieri posse, & spiritus mineralium fixari cum perfectis corporibus, Raymundóque Lullio refragratur, illud impossibile, Cuius opinionem non assequor: Imo

Solutio duplex.

Solutio per aquã mercurialẽ, ad opus vniuersale spectat.

contrarium : Authoritatibus plurimorum huiusce Artis virorum probo. Geber enim in tertia parte perfecti Magisterij cap. 32. de Auro (inquit) Aurum quoque est Metallorum pretiosissimum, & est tinctura rubedinis, quia tingit, & transmutat omne corpus, calcinatur & soluitur cum vtilitate & sine vtilitate, & est medicina lætificans & in iuuentute corpus conseruans. Frangitur facile cum Mercurio : & odore Saturni teritur. Iupiter & Luna illi in substantia conueniunt. In pondere & putredine, SATVRNVS. *vltimo vero Mars. Et est vnum de maximis secretis naturæ. cum ipso similiter commiscentur spiritus, & figuntur per ipsum maximo ingenio, quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis & pectoris. Hæc* GEBER. *Ex* SCALA *philosop. Spiritus congelantur beneficio dissolutionis naturæ fixæ, & corporis, & mixtionis illius, cum argento viuo : Et alius. Fige ergo terram, & aquam, vt aër possit figi in aqua: quoniam si aquam bene occidisti, omnia elementa occidisti, & mortua sunt. Hactenus. De his plura lege in libro qui septem claues Artis insignitur,*

GEBERI opinio digna notatu.


Summè notandũ.

Libellus qui septẽ claues artis dicitur inquirendus.

tur, quem aliquando in publicum edam: vna cum tractatu aquarum mercurialium, quibus quæuis metalla in currentem mercurium, reducuntur: si Æternus DEVS *Optimus nos superstites voluerit. His interim (Humane lector) fruere & Vale: Et nostris lucubrationibus faue.*

AVT HIC AVT NVSQVAM
EST QVOD QVÆRIMVS

DEVM TIME
ET PROXIMVM DILIGE.





APOLOGIA ARGYROPOEIÆ ET CHRYSOPOEIÆ.



NOVUM hoc dicendi ſubiectum tanquam à profeſſione noſtra alienum plerique ſtatim audito Apologiæ ſeu defenſionis huiuſce titulo, damnabunt. Sed & plures me temeritatis coarguent, quòd cum potentiſſimo aduerſario Thoma Eraſto Germano Medico, atque excellentiſſimo Philoſopho, in re toties præiudicata congredi audeam: Tum verò quòd in re tam abſtruſa, multíſq. multorum ſeculorū viris ampliſſimis hactenus incognita, certi aliquid & veri pronunciare contendam. Multi, vt varia ſunt hominum ingenia, de hac noſtra Apologia ſeu defenſione Argyropœiæ & Chryſopœiæ variè æſtimabunt. Quibus omnibus reſponſum eſſe velim, me nullis eorum æſtimationibus ab hoc inſtituto meo auocari poſſe, dum Reip. cui omnes fortunarum noſtrarum maiorem partem debemus, prodeſſe puto. Sanè ego vt variæ ſunt à Natura hominum inclinationes, cùm aliquando per otium licuit, vete-

Exordiū.

rum, qui de hac re tractarunt, volumina diligenter perlegi, naturam Metallorum propriis examinibus exploraui, hos, qui huiusce artis secreta callere præ cæteris putabantur, audiui, consului: multa multis ab hinc annis tentaui: & quam summi viri operam in euoluendis libris, à professione propria alienis, succisiuis horis collocarunt, in hoc artis studium iisdem horis eandem operam aliquando impendi. Neque alius fuit mihi scopus, quàm veritatis agnoscẽdi studium quam vnũquemque virum probum totis viribus amplecti oportet. Veterum scripta ferè omnia ænigmata, & veluti Apollinis oracula, nulla arte tradita deprehendi, vt incertus magis ab eorum lectione abierim, quàm cùm primùm ad eam accessissem. Solus Geber Arabs aliquo ordine atque methodo hanc artem tradidisse videtur, sed, vt ipse fatetur capite vltimo suæ summæ perfectionis, vbi magis apertè locutus est, ibi magis artem suam occultauit: plura etiá sophistica & inutilia veris & vtilibus miscuit, & quã plerique ex illius libris metamorphosin expectabãt in sese ipsis experti sunt: ita vt ex diuitibus pauperes euaserint, & ex honestis viris turpes habiti sint. Quod & iisdem accidisse video, qui aliorum scripta nullis rationibus fulta, sed per manus tradita, experiendo miseri & mendici conspiciuntur. Quæ cùm omnia apud me perpenderem, alipuem Reipublicæ fructum allaturum me posse

Scripta veterum obscura.

Geber.

posse putaui, si quàm verè hæc Ars posset subsistere, apertè & certa methodo, explosis omnibus ambagibus, quantum animi vires ferunt, in lucem proferrem. Ita enim fiet vt qui in re tam abstrusa, magis veritatis agnoscendæ studio, quàm acquirendarum opum desiderio tenebuntur, eos forsitan minimè hæc legisse pœniteat. Hi verò, qui oleum & operam hactenus perdiderunt. Auctorum suorum & proprios errores aliquando emendent & sapere incipiant: Hi verò, qui nondum aliquid in his degustarint, si fortè incumbere studium sit, viam rectam ingressi nusquam postea aberrare possint. Omnes autem qui hæc perlegerint & intellexerint, ab impostorum & sophistarum dolis & fraudibus tuti sint. Quid quæso vtilius aut humanum magis, quàm aliquò pergentibus viam, quam ignorant rectam demonstrare, & in eadem si fortè aberrauerint reuocare? Nec quisquam, nisi iniuriâ, possit institutum hoc meum damnare quasi ab ea arte, quàm profiteor, alienum. Incidunt enim sæpè in forensibus iudiciis quæstiones, quæ à Iureconsultorum responsis alienæ videntur, vt de arte medica, de quamplurimis aliis artibus quas tamen eos ignorasse pudeat, qui causas agunt, atque hac ratione peritos artis priùs consulere, quàm clientes defendere cogantur. Memini paucis ab hinc annis in foro nostro Niuernensi, Dum causas adhuc agerem, quæ-

Autoris propositum.

Exẽplum.

ſtionem hanc tractatam eſſe. Ciuis quidam huiuſce vrbis, à quodam, quem tunc Impoſtorem ignorabat, torquem, quem aureum aſſeuerabat, emturus, eundem fabro aurario lapidis lydij examini probandum mandauerat: Ea probatione coram Emptore ſtatim peracta, renunciauit faber ærarius, torquem eſſe aureum, & ex auro puro conſtare. Hac fretus fiducia ciuis torquem, tanquam ex auro puro conſtaret, emit: paulò poſt tempore vna ex eodem torque fibula ſciſſa, intus eſſe argentea tantùm, exteriùs verò & in ſuperficie aurea eſſe, deprehenſa eſt. Emtor ſtatim fraude cognita de damnis & intereſſe aduerſus fabrum aurarium contendit, quod illius aſſeueratione falſus emerit, quaſi ignoratione propriæ artis de culpa teneretur. Contrà Faber aurarius ſe rogatum ſolùm lapidis lydij probationem, quam verè retuliſſet, non autem ſcalpri, tentaſſe, eiuſque rei nomine nullam accepiſſe mercedem. Conſultus à prudentiſſimo atque ampliſſimo viro, cuius nunc ſum collega, quid iudicandum putarem, reſpondi, ſi torquis tantùm deauratus eſſet, aduerſus fabrum aurarium ſententiam dici oportere, quòd ſola deauratio lapidis lydij probatione iterata ſæpiùs deprehendi potuiſſet: Sin verò aurum ſuperficiei torquis adglutinatum corpus per ſe ſubſtitiſſet, exceptione tutum fabrum aurarium, eúmque abſoluendum, quod minimè lapide lydio, ſed

ſed ſcalpro tantùm iudicari potuiſſet. Statim hac interlocutione lata, aqua acri probatione vnius ex fibris facta, ſubſtitit corpus aureum in imo vaſis vitrei, argentum verò effuſum & ſolutum in aqua acri conſpeximus. Quòd ſi ſola deauratio fuiſſet, in puluerem impalpabilem & tenuiſſimum eiuſdem vaſis vitrei fundo ſubſidiſſet. Hoc vbi ab Emtore cognitum, à lite diſceſſit, præiudicialem enim ſententiam præuiderat. Verùm ita iudicari potuiſſet, niſi conſultis hac de re fabris aurariis, atque emendicatis eorum conſiliis.

Quod autem Eraſto qui probris & conuitiis multis hanc Philoſophiæ partem, cuius ignarus fuit, laceſſiuit, reſpondere ſub finem Apologiæ conabor, iudicio ſaniorum hominum relinquam, reſponſio noſtra futura ſit nec ne potior probris & conuitiis. Equidem Eraſtus vir fuit ſummæ authoritatis, ſed fuit homo, multáſque artes & faciles quidem ignorauit, quas imbecillioris ingenij homines non ignorarunt. Multas quidem vniuerſales propoſitiones in medium adduxit, at eas, quæ arti huic ſunt propriæ & peculiares, ignorauit. Quod ad cæteros attinet, inſtitutum hoc meum, vt volēt, æſtimēt. Iis tantùm ſcribo, qui non in dicta cauſa, ſed omnib. hinc inde examinatis & perpenſis rectè iudicant, & arcana Dei ſuſpiciunt & venerantur. Nec verò mihi quis imputet, vel vitio vel crimi-

Eraſtus huius artis ignarus eandem probris laceſſiuit.

Idem vir ſummæ autcoritatis.

ni, si quæ hactenus celata sunt, in lucem proferam. Imò coarguendi veteres, necnon & cæteri, qui rem per se satis obscuram suis inuolucris obscuriorem reddiderunt. Quod si agendi methodum celare illis licuit, saltem rationes & causas, ex quibus, à quibus, per quas & propter quas ars consistere possit, aperuisse debuissent: Quod à nullo eorum præstitum video. Nec tamen verendum fuerat, ad hanc artem perueniri posse, quantumuis perspicuè & verè scriptis mandetur, nisi à peritissimo, & in principiis artis maximè experto manibus tractetur. Speculatio tamen sola periucunda est, & grauioribus studiis prægrauatos animos reficit. Iam igitur quotquot estis arcanorum perscrutatores acerrimi & veritatis amantissimi huc adeste, vobis enim admiratione digna, & nusquam ab aliquo scriptis mandata perspicuè & verè patefaciam, & definitionibus, diuisionibus & demonstrationibus physicis, quantum fieri poterit, illustrabo. Vno etiam momento comprehendetis quicquid iam senex & sexaginta annos natus multis meditationibus & experimentis triginta quinque ferè ab hinc annis, cum per ocium licuit, comprehendere potui, vt, an verè hæc ars subsisteret, inuestigarem. Agendi tamen methodum silebo, nec nisi quantum quæstionis probandæ, an sit ars, necessitas incumbet, generaliter attingam.

Veteres coarguē-di.

Ad artem non facilè perueni-tur.

Summa huius tra-ctatus.

Ætas au-thoris.

Metho-dus agēdi hic non tractatur.

Erastus

Erastus Germanus natione in schola Heildelbergensi Professor librum edidit, cui titulum fecit, De medicina noua Paracelsi, Pars prima. Is liber excussus Basileæ per Petrum Pernam anno Domini 1572. Librum hunc cum successiuis horis perlegissem, vidi sub finem tractatam quæstionem hanc ab Erasto: vtrum ex argento viuo aut ignobilioribus metallis transmutatis verum, legitimum, naturale & sincerum aurum argentúmve arte confici possit: multis tandem & validissimis argumentis, & ex eorum autoritate, qui iudicio & eruditione præstant, constanter negat id fieri posse. Ego vero constanter affirmo ex argento, plumbo, stamno, ære, ferro, nec non ex argento viuo, aurum, & ex his quinque posteriorib. argētum verum, legitimum, naturale & sincerum à causis naturalibus, arte ministrante, cōfici posse: Hæ sunt sententiæ ex diametro pugnantes. Posterioris sententiæ defensionem suscipio: atque id ipsum est, quod hac Apologia præstare conabor. Equidem si quis vnquam validissimis argumentis artem hanc oppugnauit, vnus omnium est Erastus summus Philosophus & cōsummatæ eruditionis. Sed tantò magis insignis erit victoria, si in hac philosophiæ parte vicero, quod efficere me posse cōfido. Etsi autem ad probationem propositæ quæstionis, s. Argyropœiam & Chrysopœiam artem esse veram, sola sufficeret experientia, quæ vicem Propositio.

demonstrationis habet, tamen vt res clarior sit & manifesta magis, altiùs defodiendum esse existimaui.

Definitio Argyropœiæ & Chrysopœiæ.

Argyropœia & Chrysopœia est ars, quæ materiam auro & argento proximam eámue naturalem, à causis naturalibus efficiētibus in formam argenteam aut auream promouere docet. Et vt definitio explicetur, dixi esse artem, quæ mouet naturales causas: vt discerneretur à natura, quæ etiam sola sua sponte nullius alterius ope accita argentum & aurum, ex suis principiis & causis gignit. Dixi etiam materiam à causis naturalibus moueri, vt quatenus materia & causæ efficientes spectātur, argenti & auri conficiendi ratio tota à natura pendeat: quatenus autem naturæ suam propriam materiam subiicit, vt ipsa agat, sit hæc administratio arti propria. Sic & plurimæ artes definiuntur, vt Agricultura, Medicina, quarum effectus sunt naturales, sed quia præceptiones certas & arti proprias & peculiares tradunt, efficere dicuntur. Sic qui oua

à Simili.

gallinę subministrat vt iis incumbet, dum excludantur, aut calorem gallinæ imitando ea fouet, vt etiam pulli generentur, pullos efficere dicitur, tametsi hic ortus à vi naturali ouis insita dependeat. Sic & Argyropœiæ & Chrysopœiæ artifices argentum & aurum efficere dicuntur, dum veluti ministri proximam materiam subiiciunt, & præceptiones tradunt, quibus eadem à causa naturali effi-

ciente

ciente fiunt. Sic & Aristoteles Artem nimirum id esse statuit, à quo demum omnis motus proficiscitur. Adieci in definitione, materiam proximam argento & auro subiici oportere, quod non ex omni materia promiscuè omne fiat, sed quod ex ea tantùm, quæ formam certam nullo intermedio, à causa efficiente apprehensura sit, id autem in progressu manifestum magis erit. Tandem & postremo loco additum est, materiam hanc proximam in argenteam, aut auream formam promouendam esse, vt intelligatur, idem argentum, & idem aurum Arte ministra, à natura fieri: quale à sola natura. Ex hac definitione partienda mihi videtur in tres partes hæc Argyropœiæ & Chrysopœiæ ars. Harum prior erit cognitio naturæ metallorum, vti eadem natura ipsa in lucem edidit sua sponte ex se sola. Cum etenim idem argentum & aurum atque natura producit, ars illi ministrans producere contendat, hoc præstare neutiquam posset ignorata metallorum natura, præsertim argenti & auri, vt eadem omninò efficiat. Secunda pars erit cognitio materiæ proximæ argento & auro & causæ efficientis & mouentis eam ad formam argenti & auri, arte scilicet ministrante naturæ. Etsi enim diuersa sit materia proxima, ex qua argentum & aurum à sola natura fit, ab ea, ex qua arte ministra eadem ortum subeunt, tamen vtriusque & naturæ &

Ars quid sit.

Materia proxima quæ.

Partitio Argyropœiæ & Chrysopœiæ.

I. Pars cognitio naturæ metallorum.

II. Pars Cognitio materiæ proximæ & causæ efficientis.

artis ſcopus ad vnum eundémque finem contendit, ſcilicet ad formam argenteam aut auream capeſſendam. Poſterior pars erit methodus aut modus agendi, & hic ſolius eſt artis, nec naturam promiſcuè omninò æmulatur, niſi quatenus ad eundem finem & ſcopum, ad quem natura, deducit. Tres igitur has partes Argyropœiæ & Chryſopœiæ ordine tractabimus, ex quibus ſententiam noſtram tuebimur, hinc experimentis quibuſdam confirmabimus: Tandem argumentis Eraſti reſpondebimus: ſic Apologiæ finis imponetur. Sed priuſquam naturam metallorum diſquiramus, eandem in omnibus concretis corporibus explorare opportunum eſſe exiſtimamus, & ſummatim quidem & generaliter, cùm alioqui vberiùs à Phyſicis hæc haurienda ſit. Sic fiet, vt cognita in genere rerum omnium naturâ, facilior ſit aditus ad penetrandam metallorum naturam. Omnium igitur concretorum corporum natura ex eorundem cauſis dignoſcitur. Scire enim aliquid, vt ait Ariſtoteles primo Phyſicorum, eſt per cauſas cognoſcere. Cauſæ autem ſunt, materia, forma, efficiens & finis. Materia eſt, ex qua aliquid fit: In natura enim nihil niſi ex præiacente materia aut ſubiecto fit: Forma eſt, quæ dat eſſe rei, & per quam res nomen habet: Efficiens eſt cauſa, quæ mouet materiam ad aliquem finem: Finis eſt, propter quem aut cuius gratia efficiens mouet materiam.

III. Pars Methodus agendi.

Ordo dicedorum.

Natura omnium rerum ex cauſis dignoſcitur.

Cauſæ rerum quatuor ſunt.

Eſt au-

Est autem diuisio Materiæ, vt alia sit remota, alia media, alia proxima. Materia remota dicitur, quæ multas mutationes & formas subitura est, priusquam formam alicuius ex quatuor corporum naturalium generibus induat. Sūt autem quatuor hæc corporum genera, mistum, vegetabile, sensibile & rationale aut intelligens: Et hac materia longo distat interuallo ab vno quoque horum. Ea est materia prima quę sola imaginatione & intellectu, non sensibus comprehenditur: item quatuor rerum primordia, terra aqua aër & ignis. Ante enim illa nulla alia fingi potest materia.

Diuisio materiæ.
Remota materia.
Corporū genera quatuor.

Materia media est inter remotam & proximam, quæ quidem proximior est formis horum quatuor generum corporum, quàm materia remota, sed magis ab iisdem formis distat, quàm materia proxima. Vt alimenta propiora sunt corpori animalis, quàm Elementa, remotiora autem quàm sanguis, qui ex illis gignitur.

Materia media.

Materia proxima est, quæ proximè ad formam accedit, & veluti quiddam imperfectum est, relatum ad alterius corporis formam perfectiorem. Materia hæc proxima est, vt vnum quodque generis semen in vniuocis generationibus, aut quod loco est seminis in æquiuocis. Sed de hac materia proxima plura nobis mox dicenda sunt.

Materia proxima.

Formarum autem genera naturalia sunt ea quatuor, quæ dicta sunt, scilicet forma mi-

Formarū genera quatuor.

ſtorum ſimpliciter, vegetabilis, ſenſilis, & rationalis ac intelligens. Hæc formæ magis quàm materiæ rationem obtinent, quippe à quibus ſit omnis effectio, materia autem potentia ſit tantùm, quæ non agit, ſed patitur propriè.

Cauſæ efficientis diuiſio.

Cauſa autem efficiens variè diuidi poteſt, verùm ſola hæc nunc ſufficiat, quod alia ſit vniuerſalis, alia particularis.

Vniuerſalis efficiẽs cauſa.

Vniuerſalis cauſa eſt Deus ſummus optimus, maximus, qui in principio quidem ſolus ex ſe ſolo, ſua infinita poteſtate ſine aliis quibuſcunque cauſis, ex nihilo cuncta creauit. At cum poſt mundum ab ipſo creatum voluit naturaliter & extra miraculum ex iam creatis rurſus eadem progigni, cœlis & aſtris, vt cauſis vniuerſalibus, has vices commiſit: ſic tamen vt idem ipſe DEVS cum his & cauſis particularibus ſemper concurrat. Hæ igitur cauſæ vniuerſales omnia hæc, quæ in hac mundi vniuerſitate cernuntur diuerſi generis aut diuerſæ ſpeciei, producunt. Æquiuocæ autem dicuntur, quod ęqualiter omnibus impertiantur & diuerſorum effectuum ſint cauſæ.

Æquiuoca

Particularis cauſa effic.

Particularis autem cauſa efficiens eſt, quæ in materiam proximam ſeu in diſpoſitum ſibi ſubiectum tantùm agit, vniúſque ſpeciei aut qualitatis effectum producit, & vniuoca appellatur, qualis eſt vis & facultas in vnoquoque ſemine, quæ ipſum mouet, dum ad finem peruenerit.

Vniuoca.

Finis

Finis autem aut cauſa finalis in iiſdem corporibus ex Elementorum permiſtione concretis eſt, vt forma fiat. In Phyſicis enim finis idem eſt, quod forma. Finalis cauſa.

His generaliter ſic diffinitis, diſquirenda eſt metallorum de quibus eſt diſputatio, natura, quæ ſola vi naturæ in viſceribus terræ orta ſunt. Quæ natura non minùs ex eorundem metallorum cauſis, ſcilicet materia forma & efficiente dignoſcitur, quàm reliqua mundi miſta corpora.

Metallorum igitur ſicut & cęterorum corporum omnium materia remota, ſunt, vt dictum eſt, terra, aqua, aër & ignis, ex quibus originem traxiſſe omnium philoſophorum vnanimis eſt ſententia. Gignendis enim corporibus miſtis vnius elementi materia ſatis eſſe non potuiſſet, ſed neceſſe fuit quatuor illa permiſtione confuſa rebus idoneum ſe ſubiectum exhibuiſſe ſubſtratáque fuiſſe. Etſi autem prima illa rerum primordia ſint materia metallorum remota, proximiora tamen iiſdem ſunt, quàm vegetabilibus aut ſenſibilibus. Quippe quod elementa hæc quatuor ſenſibus conſpiciantur, quaſi prima eſſe metallorum, nec non omnium inanimatorum ſoboles naturalis. Materia metallorum media in viſceribus terræ ea eſt, quæ eſt, quæ vi cauſæ efficientis ex elemētorum prima miſtione in aliquod medium tranſit, quod nondum tamen eſt materia proxima: Quod me-

Metallorum materia remota.

Materia metallorū media.

dium eſt veluti quid informe nec certam in natura habet ſpeciem: quod quid ſit, ab authoribus non eſt traditum. At materia metallis proxima ea eſt, quæ nullarum aliarum mutationum interuentu à cauſa efficiente perficitur, & proximè formam metallicam induit, nondum tamen eſt metallum, ſed aliam habet à metallo formam & vnica ſola illius mutatione forma exſurgit. Quę autem ſit illa materia proxima in mineris terræ, variæ fuerunt eorum, qui hac de re ſcripſerunt, opiniones. Ariſtoteles enim tam ſublimium, quæ ſuper terram, quàm inferiorum, quæ in viſceribus terræ gignuntur, duplicem exhalationem ait eſſe horum materiam. Exhalationem quidem à terra, quæ ſit ſicca & calida: & ab aqua vaporem, quæ ſit frigidus & humidus: non ſic tamen, vt exhalatio ſicca humore deſtituatur, nec vapor humidus ſiccitate: ſed in illa ſiccitatem, in hac humiditatem ſuperare. Exhalationem igitur ſiccam dicit eſſe foſſilium, vt ſunt lapidum genera non liquabilia, ſandaracha, ſulphur, achra, rubrica, & alia eiuſdem generis. Metalla autem ad vaporoſam exhalationem pertinere ait. At vaporē illum, prius quàm in aquam vertatur, exhalatione coagulari & metallum fieri, idcircò metalla omnia exhalationem ſiccam continere, & inflammari & exuri, ſolo auro excepto.

Materia proxima metallorum.

Ariſtotelis opinio de materia proxima metallorum.

Alchimiſtarum opinio.

Halchemiſtæ verò proximam metallis materiam dicunt eſſe argentum viuum & ſulphur,

ſulphur, tùm quod argentum viuum, fuſa videantur, & ex illis arte proliciatur argentum viuum, tùm quòd odorem ſulphureum ſpirent. Et eorundem opinionem multi graues viri ſecuti ſunt. Gilgil autem Maurus cinerem quendam terræ munitiſſ. aqua infuſum materiam eſſe metallis proximam profeſſus eſt, non ſecùs atque omnem cinerem materiam eſſe vitio proximam. Albertus verò humidum viſcoſum & tenax. Georgius Agricola has omnes de materia metallis proxima in mineris terræ opiniones refellit, & ſuccum in iiſdem mineris ortum, materiam metallis eſſe proximam, multis rationibus contendit. Scaliger metalla vocat terram aqueam, argentum autem viuum aquam terream. Quæ autem harum opinionum ſit verior, immorandum mihi eſſe non puto, cùm aliam argento & auro proximam materiam natura nobis exhibeat, vt ex ſequentibus elucеſcet. Si tamen quid ſentio dicendum ſit, Ariſtotelis opinioni & autoritati magis innitendum & fidendum exiſtimauerim.

Gilgilis opinio.

Alberti op.

Georgij Agricolæ.

Scaligeri opinio.

Poſt metallorum materiæ cognitionem forma etiam eorundem inquirenda eſt, quæ nobilior eſt pars ſubſtantiæ illorum, vt & in omnibus corporibus naturalibus: Forma enim rerum omnium magis naturæ nomine quàm materia inſignita eſt, & ab ea ſola nomen vnicuique corpori naturali eſt inditum.

Formæ metallorum.

Eam enim vocat plerunque Aristoteles rationem essentiæ. Eò autem spectat formarum metallorum cognitio, quòd arte ministra idem argentum & aurum, atque naturale, efformandum sit, quod præstari non poterit, nisi eorum forma & natura, & quæ & qualis sit, intelligatur, & in quibus à reliquorum metallorum formis discrepant. Metallorum tamen formæ non ita facilè dignoscũtur, vt reliquorum alterius generis corporum, scilicet vegetabilium, sensilium & hominum. Formarum enim cognitio ab actionibus earum dependet, quippe quod forma sit actus, materia verò potentia. Actiones autem ab operibus dignoscuntur: Quæcunque igitur sensus plus agere ex eorum effectibus deprehẽdit, ea magis conspicuis formis composita diiudicabit, quæ minùs, obscurioribus & minùs manifestis. Hinc sensibus magis nota est plantarum forma quod vegetent, alimentum suscipiant, & sibi similia producant. Sensilium verò brutorum, quod præter hæc & moueantur & sentiant, notior est natura: Hominis verò forma omnium maximè manifesta est, quòd etiam præter hæc omnia intelligendi facultate sit homo præditus. His omnibus facultatibus cùm metalla priuata & orbata sint. (Nam nec vegetant, nec aluntur, nec mouentur, nec sentiunt) eorum formæ minùs ab actionibus dignoscuntur. Formas tamen habent omnia metalla per quas constant, &

Formæ metallorum quæ sint, non facile iudicatur.

Cognitio formarum ab actionibus: actionum ab operibus depẽdet.

Hominis forma maximè manifesta.

nomen

nomen ab iisdem habẽt, & ex iis sibi inuicem & ab alii: corporibus discernuntur. Constant autem & concreta sunt ex sola elementorum permistione, ideóque nullum aliud nominis genus habent quàm quòd mista appellantur corpora. Nec facultates alias habent præter eas, quæ ipsa constare efficiunt, & mistorum elementorum formam habere vnicam vndequaque sibi similem. Sunt autem hæ facultates qualitates elementorum calor & frigus, vt agentes causæ, & humidum & siccum vt patientes: Et quod plus patibilium harum qualitatum metalla habeant, ex perpessione materiæ eorundem, magis quàm ab actione formæ eorum diiudicatur. Formæ enim proprium est agere, materiæ pati. Quod si quid agunt, in qualitatum, ex quibus concreuere agunt tantùm, veluti calefaciendo, frigefaciendo humectando & exsiccãdo. Cætera corporum genera scilic. vegetabilia, animalia bruta & homines, mista quidem sunt corpora, sed quod præter & super mistionem aliquid aliud præstantiùs habent, mista propriè non appellantur, sed ex his facultatibus, per quas agunt, nomen habent, & formam propriam. Metalla autem quod nihil præter mistionem possideant, simpliciter & absolutè mista tantùm appellantur, quod primæ illæ qualitates nihil aliud in elementis effecerint, quàm mistionem. Formas quidem omnium mistorum inanimorum sequuntur sua accidentia tam

Metalla sunt corpora tantùm mista.

Formæ metallorũ plus ex perpessione materiæ quàm ab actione dignoscuntur.

Metalla simpliciter ista sunt.

communia quàm propria: Et quòd magis ea materiæ quàm formæ conueniant ex iisdem mistorum formæ quales sint quadantenus intelliguntur. Accidentia igitur omnibus metallis communia sunt, ductile & fusile. Ideóque metallum à Gebero definitur: Metallum est corpus minerale, fusibile, sub malleo ex omni dimensione extentibile. Corpus enim minerale genus est, fusile & ductile ex omni dimensione, differentia est specifica, quæ metalla à cęteris corporibus mineralibus discernit. Argento enim & auro sua insunt accidentia propria quibus à cæteris metallis discernuntur, scilicet, quòd perfectè sint mista, & igne non exurantur, præsertim aurum. Aurum igitur à Gebero rectè sic definitur. Aurum est corpus metallicum citrinum, omniũ metallorum grauissimum, mutum, fulgidum æqualiter in ventre terræ digestum, aqua minerali diutissimè lauatum examinationem cineritij & cementi tolerans. Hæc cementi perpessio est differentia specifica, quod in hoc examine cætera omnia metalla exurantur, & in cinerem vertantur, ipsum autem aurum solum incolume in eodem persistat. Argentum quoque ab eodem Gebero sic definitur. Argentum est corpus metallicum album albedine pura, mundum, durum, sonans, perdurans in cineritio. Postremum hoc est accidens illi proprium, quippe quod stãnum, plumbum, æs & fer-

Accidentia metallis omnibus communia.

Metalli definitio.

Auri definitio.

Argenti definitio.

æs & ferrum in examine cineritij pereant & corrumpantur, argentum autem in eodem persistat. Habent & cætera metalla sua accidentia propria per quæ ab argento & auro & à se inuicem differunt, de quibus tractare parum ad propositæ quæstionis dissolutiones attinet, cùm de his eorúmque definitionibus, satis ab eodem Gebero, Alberto Magno, Georgio Agricola, cæterísque tractatum sit. Sola nobis inquirenda est natura & forma argenti & auri, quæ ex superioribus accidentibus propriis eorúmque definitione dignoscitur, vt ad eadem accidentia, materiam illis proximam à causa efficiente arte deducamus. Etsi enim argenti & auri formæ non ita nobis perspicuè innotescant, vt cæterorum corporum vegetabilium & animalium formæ quæ ab actionibus & effectibus deprehenduntur, tamen quodcunque corpus metallicum examina argento & auro propria perpeti & in iisdem persistere conspexerimus, argentum & aurum esse rectè dixerimus. Rerum enim cognitio prima est à sensibus. Et vt vegetabilia & animalia ab actione ita argentum & aurum à perpessione materiæ diiudicamus. Horum accidentium propriorum argento & auro causæ sunt hæ. Quod enim fusilia sint metalla omnia, humor est in causa. Sicut enim sunt ductilia propter humoris, ex quo constant, lentorem. Quæ enim lenta sunt longissimè continuitatem seruant;

Corpus metallicũ sustinens examina auri propria, est aurum.

Causæ accidentiũ propriorum auro & argẽto.

lentor enim huiusce humidi cum siccis partibus firmam habet temperationem. Vtrumque igitur & lentor & siccitas cum certo temperamento, efficit, ne malleis percussa comminuantur, sed ductilia sint. Et quo magis aut minùs metallis inest magis aut minùs alia aliis ducuntur. Vnde aurum quod lentoris plurimum habeat à siccitate temperati, omnium metallorum est maximè ductile: huic succedit argentum, inde æs, ferrum, inde plumbum & stamnum. Ob easdem ferè causas proprias in igne humiditates retinent: lentor enim, ne humidum exhalet, impedit. Sed humidum aqueum, ne metalla exurantur, prohibet. Aquea enim cùm igni qualitates ex diametro contrarias habeant, ab igne non vincuntur: Hic calidus, siccus & tenuis est, aqua frigida humida & densa. Quò plus igitur naturæ aqueæ participant metalla, minùs in illa ignis habet imperium. Hinc aurum nullius ignis ardore exuritur, minùs post hoc argentum ob easdem causas. Cætera metalla humiditatem habeant aeream, sulphuream & inflammabilem, quæ causa est vt igne tandem distabescant. De his accidentibus propriis plura paulò post dicenda sunt.

Cur aurũ maximè sit ductile.

Q retinet in igne humiditatem.

Nunc de causa efficiente metalla etiam dicendum: causa efficiens est vnde principium motus. Mouet enim materiam, vt metalla ortum habeant. Cùm autem omnis materia sit aut remota aut media, aut proxima: certum est,

De causa efficiente metalla.

rum est: causam efficientem agentem in remotam & mediam, vt fiat metallum vniuersalem & æquiuocam esse, non particularem aut insitam. Nullum enim metalla ortus sui parentem agnoscunt, quam Deum & cœlum, quod non à semine aliquo prodierint, vt animata corpora, vi quorum seminibus vis delitescit à parentibus infusa, quæ semper similia gignit his, à quibus semina dimanarint. Non sic in materia remota & media metallorum, de qua qui eorundem historiam tradidere, non meminerunt, sed solius causæ efficientis & agentis in materiam omnibus metallis proximam, id est, in materiam, quæ ex remota & media, à causis vniuersalib. in proximam metallis materiam transiit. Hæc causa efficiens in materia metallis proxima est particularis & insita, quippe quæ ei soli conueniat, non secus ac causa particularis in vno quoque metallorum genere. De hac causa efficiente proxima variæ etiam sunt opiniones. Aristoteles enim causam hanc efficientem ait esse frigiditatem & siccitatem, quæ in lapidibus Vaporem, quem materiam metallis proximam iudicauit, in illis sublatum & inclusum cõprimunt & densant. Quod non ita accipiendum est, vt in eorum ortu caloris efficientiam neget: Illæ.n. exhalationes caloris opera inter se admiscentur, & ad aliquã spissitudinem adducuntur & concoquuntur, sed admixtio illa frigore postea densatur & in metallum euadit.

Deus & cœlũ metallorum causa remota & vniuersalis.

Aristotelis opinio de causa efficiente metalla.

Chemistarum opinio. Halchemistæ verò sulphur, quod partem materiæ metallorum putant, efficientis causæ vim obtinere profitentur, exemplo cinaberis facticiæ, quæ ex argento viuo & sulphure mistis concrescit. Gilgilis op. Gilgil Maurus calorem vehementissimum causam efficientem esse opinatur, vt in vitro, quod ex cineribus conflatur. Alberti magni opinio. Albertus autem Magnus causam hāc efficientem esse ait maiorem orbis, qui formas naturales explicat per motum cœli & qualitates elementorum, ceu artifex explicat formas artis securi aut malleo. Verùm hæc Alberti opinio de causa efficiente, potiùs de vniuersali quàm particulari existimanda & intelligenda est. Vniuersalis enim hæc causa agit primùm in elementa, quę post multas mutationes tandem in materiam proximam mutat. Georgij Agricolæ opinio. Georgius autem Agricola de causa efficienti particulari proxima Aristoteli subscribit, quæ mihi verior sententia videtur: Ab effectibus enim causæ proximæ dignoscuntur. Atqui metalla sunt corpora naturalia tantùm mixta simpliciter, nec quicquam vltra mistionem habent & effectus mistionis simplicis à solis Elementorum primis facultatibus proficiscitur: Quomodo elementa moueātur & misceātur ad metalla producenda. Mouentur enim elementa & miscentur per proprias suas qualitates. Calor igitur primùm miscet ea, & ad proximam metallis materiam deducit, quam postea frigus constringit. Præterea hæc sententia ex inductione probatur. Si enim in nubibus, vt aiunt ex

duplici

duplici illa exhalatione frigore denſata ferrum gigni, & in terram decidere, verum eſt, quantò magis ſubtus terram ex eadem exhalatione frigore denſata metalla gigni veriſimile eſt? Hæc ſunt quæ ad cognitionem naturæ metallorum quæ ſola vi naturæ concreuerunt, pertinere dicenda exiſtimaui: Nec pluribus agendum eſt, ſeu quòd à pleriſque probatiſſimis Authoribus explicata ſint, ſeu quòd alia ſit arti materia proxima, aliæ cauſæ efficientes, naturales tamen, & quæ ad eundem tendunt ſcopum arte miniſtra.

Cognitio huius materiæ proximæ & efficientis cauſæ apud artem ſecunda eſt in ordine partitionis Argyropœiæ & Chryſopœiæ. Sunt autem adeò neceſſariæ, vt iis ignoratis, ars nec ſciri nec dici poſſit. Harum cognitio viam & iter demonſtrat, quibus ad finem optatum peruenitur. Ex iiſdem perſpectis & intellectis omnia, quę ad hanc artem pertinent, ratiocinari quiſquis poterit, omniáque quæ aduerſus artem adferuntur argumenta, diſſoluere: ſine his vani & irriti ſunt conatus omnes, & cęcutire neceſſe eſt. Totis igitur viribus enitendum eſt, vt exactè quantum fieri poterit, hæc excellentiſſima huiuſce artis pars occulta huc vſque & nuſquam à veteribus ttradita, explicetur & detegatur. Sed priùs de materia argento & auro apud artem proxima definiendum eſt, quæ ſtatim à cauſa efficiente in argentum aut aurum perficitur,

Pars ſecũda Argyropœiæ & Chryſop.

De materia auro & arg proxima apud artē.

nulla alia mutatione interueniente. Et est indiuiduum speciei argenteæ & aureæ proximè futuræ, quod tamen nondum est argentum aut aurum actu, sed potentia tantùm proxima, quę huius aut illius formam à causa efficiente & mouente statim induet. Est enim indiuiduum quod proprietates habet, quæ simul omnes nusquam attribuentur multis. Proprietates quidem, quæ differentiam specificam non constituant, sed habilitatem & dispositionem tantùm habent ad formam proximam capescendam. Exemplo sit semen caninum, quod proprietatem habet, vt proximè ex eo gignatur canis, quæ proprietas in semine equino nusquam inerit, nisi post multas corruptiones & mutationes in semen caninum, si hoc fieri posset. Sic materia argento & auro proxima hanc habet proprietatem apud artem, vt pauco adminiculo in ipsa mutari possit, quæ proprietas in alia materia nusquam inerit. Hæc enim est lex naturæ inuiolabilis vt nullum vsquam vnius speciei Indiuiduum in aliud alterius speciei indiuiduum transeat, nisi illud prius proprietatem & potentiam habeat ad hoc posterius proximam, id est, nisi prius indiuiduum sit potentia proxima indiuiduum speciei proximæ futuræ, & ortum subituræ. Hanc materiam inuestigare, qualis est in mineris naturalibus & eandem subiicere causæ efficienti, vt in ipsam agat, & opus suum peragat est impossibile

Indiuiduũ quid sit.

Causa materialis in mineris nouẽ proxima apud artẽ.

ſibile. Quippe nihil ad intelligendi vim pertinere poteſt, quod prius in ſenſu non fuerit. At materia proxima, quæ eſt ſubtus terram, ex qua producitur à ſola natura argentum & aurum, ſenſibus noſtris eſt incognita. Non enim conſtat inter graues Autores, qui hac de re aliquid tradiderunt, quænam ſit illa materia proxima apud naturam, imò diſſentiunt, & ſuam vnuſquiſque opinionem rationibus probabilibus, non tamen demonſtrationibus tuetur. Quod etſi concedatur materiam proximam ſenſibus & demonſtratione comprehendi poſſe, nihilo-minùs poſſet ars extra minerarum locum materiæ potentiam ad actum ſeu formam perducere. Aliunde igitur diſquirenda eſt in Argyropœia & Chryſopœia materia proxima & cauſa efficiens, vt viribus huius illa erumpat in actum, & ex illius potentia forma agenti & auri ſuboriatur & emergat. Diſquirenda eſt, inquam in re, in qua oculorum & ſenſuum iudicio hæc proprietas eſt inſita, quæ eſt habilitas & diſpoſitio quædam naturalis ad ſuſcipiendam formam argenteam & auream. Huius autem materiæ inueſtigatio ex duplici demonſtratione dependet: Prior eſt ex ſimilitudine totius ſubſtantiæ argenti & auri cum hac materia proxima quam quærimus. Hæc autem ſimilitudo deprehendetur ſenſibus ex facili eorundem miſtione & amplexu. Hæ enim ſubſtantiæ ſeſe referunt, nullo negotio

Materia proxima apud naturam eſt incognita.

Vbi materia proxima metallorum inquirenda.

&c nulla arte, ſed ſponte ſua coeunt. Quæ autem ſit ſubſtantia, quæ facile coeat cum argento & auro, poſt hac dicemus.

Poſterior demonſtr.

Poſterior demonſtratio ex proprietate & habilitate & diſpoſitione materiæ erit, quæ vtriuſque ſcilicet argenti & auri formam apprehenſura ſit. Hæc autem habilitas ſeu diſpoſitio manifeſta erit ſenſibus ex ſimilitudine accidentium eiuſdem materiæ, quam quærimus, cum iis, quę argento & auro inſita, intuemur à perpeſſione materiæ eorundem, & à cæteris metallis potiſſimùm diſtare.

Quatuor accidẽtia auro & argẽto cum proxima materia cõmunia.

Sunt autem Accidentia hæc quatuor numero. Primum, quòd argentum & aurum non exuruntur nec inflammantur. Secundum, quod partes, ex quibus conſtant, humido ſcilicet & ſicco, igne, qui cuncta diſſoluit, minimè diſſipentur aut diſtrahãtur. Tertium quòd tenuiſſimæ ſint eſſentiæ. Poſtremum quod denſa & grauiſſima ſint. Propriè tamen, nequis calumnietur, hæc auro inſunt, argento minùs propriè. Qui tractant artifices argentum & aurum ita de his accidentibus propriis iudicent & vt mox apertiùs demonſtrabo. Hæc accidentia ex Ariſtotelis autoritate ſunt corporei affectus, qui ſenſibus iudicãtur. Materia igitur, quam facile cum argento & auro coire, & iiſdem accidentibus propriis præditam eſſe oculis conſpexerimus, ipſa erit materia argẽto & auro proxima apud artem, neque alia, quæ ab efficiente cauſa in argentum & au-

Materia quæ auro & argento proxima.

& aurum promouebitur. Hanc ſuo proprio nomine deſcribemus, ſi priùs argento & auro quatuor hæc accidentia in eſſe demonſtrauerimus, & cauſas eorundem, & quòd cæteris metallis non inſint, & quare. Quod igitur argentum & aurum non exurantur, nec inflammentur, vt ex eo apparet, quòd liquata igne nullum vaporem ſulphureum aut inflammabilem ſpirent: cauſa eſt, quòd omni ſubſtantia ſulphurea & inflammabili & vnctuoſa expertia ſint. Omne enim ferè corpus naturale duplici cõſtat humore, altero vnctuoſo, oleoſo & inflãmabili, vt eſt ſulphur, oleum, adeps. Altero aqueo, quo tanquam viſco terrenæ corporum partes vnctæ cohærent, quique rerum omnium ex Elementorum permiſtione concretarum communis eſt. Quodcunque igitur corpus inflammationi ſubiectum eſt, humiditatem habet oleo finitimam, huiúſque ſolius genera conflagrat. Quippe quæ ab aere orta aëris qualitatem calidam retineat. Aqueus autem humor, qui terrenarum partium eſt gluten, ab igne vinci non poteſt. Ille enim frigidus, humidus, hic ignis calidus & ſiccus. Et cum contrariis inter ſe, vt etiam iam dictum eſt, pugnent qualitatibus, neutrum cedit alteri. Solus igitur aqueus humor argentum & aurum tuetur, ne ab igne exurantur. Nullius .n. humoris oleoſi aut ſulphurei ſunt participia, qui igni ferat opem, vt victoriá aduerſus humorem aqueum, qui iiſdem ineſt,

1. Aurum & arge. non exurũtur.

referat. Reliqua verò metalla, quòd sulphure cuiusdam humoris, qui etiam odore deprehenditur, participia sunt, exuruntur & nigredinem ab igne contrahunt. Quod autem argenti & auri partes essentiales, scilicet, humidum & siccum, ex quibus constant, igne non dissoluantur nec secernantur colliquatio eorundem sæpius igne reiterata fidem facit. Nihil enim ex eorum pondere decidit. Equidem memini me superioribus annis vnciam auri purissimi testaceo vasculo inclusi, & alteram vnciam argenti puri etiam altero vase separatim inclusi eo loco, quo vitrum vitrariorum fornace liquatum est perpetuo, collocasse, ibique ambo fusa & liquata duobus cōtinuis mensibus permansisse, iisque transactis & à vasculis & fornace vtraque exemta stateris librasse, & auri quidem nec minimum de pondere decidisse conspexi, argentum verò duodecima tantùm parte. Quod sanè admiratione dignum est, verissimum tamen esse ipsâ experientia didici. Huiusce autem rei causa est, perfecta sicci & humidi mixtio & vnio, quæ tam arctissimo fœdere sunt iuncta vt etiam ignibus violētissimis indissolubilia sint. Humidum enim temperatur à sicco, & siccum à humido, & fit in vtroque argento scilicet & auro substantia vna æqualis, & in suis partibus similaribus homeomera & vniformis. Hinc cùm nititur ignis ipsa rarefacere, & dissoluere, & humidum aqueum in vaporem efferre,

Auri & ar. partes essentiales non dissoluuntur igne.

Experimentum.

Causa & ratio.

tuetur & retinetur à ferreo ne euolet. Contrà cùm ignis idem terreum ab humido secernere contendit, & in cinerem vertere, cohibetur ab humido, ita vt vtrumque tutum, incolume & inuictum in ignis pugna persistat. Hæc autem indissolubilis mistio & vnio propriè de auro est intelligenda, cuius meminit sacra scriptura: Probabit, inquit, nos Deus tanquam aurum in fornace. Et Augurellius in sua Chrysopœia sic cecinit.

Solida mistio humidi & sicci.

Vni quoniam nil deperit auro
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo aut ærugo conficit vlla
Cuncta adeò miris illic compagibus hærent.

Huic solidæ mistioni proxima est argenti puri mistio, cuius etiam meminit Regius Psalmista. Eloquia, inquit, Domini, eloquia casta argentum igne examinatum, terræ probatum, purgatum septuplum. Attamen igne parùm illi deperit & exuritur. Quod enim superius igni duobus mensibus colliquatum duodecima parte pristini ponderis deperiisse dixi, in superficie vitro citrinissimo opertum vidi, quod malleo sub incude percussum separatum fuit ab argento quod intus purum perstitit. Hæc duodecima pars argenti deperdita & exusta in vitrum illud citrinissimum transiit. At reliqua metalla omnia pauco tempore igne continuò agente exhalant, & metallica materia & forma euanescente & pereunte, quod superest, in vitrum transmutatur.

Argento parum deperit in igne.

Vitrificatio metallorum.

Omne enim, vt rectè sensit Geber, propria priuatum humiditate fusionem nullam dat præter vitrificatoriam. Cuius dissolutionis & corruptionis causa est etiam contraria, ei quam in argento & auro diximus, scilicet quod humidum quoddam sulphureum & inflammabile humido eorum aqueo permistum sit, tùm quòd illorum mistio sit imperfecta ad mistionem argenti & auri collata. Tenuitas autem argenti & auri est mirum in modum dilatabilis sed auri incredibilis ex eo deprehenditur, quod vnica illius vncia superficiem corporis alicuius inaurabit, quam argenti decem vnciæ vix inargentarent, id norunt inauratores & inargentatores. Cætera verò metalla nihil ad auri tenuitatem accedunt. Causa autem tantæ tenuitatis est puritas humidi defecati in argento & propriè in auro. Causa verò crassitiei est impuritas terrestris. Tandem & postremum accidens proprium auro & argento præsertim auro præ cæteris omnibus, est densitas & grauitas. Et vt certò sciatur, quanta grauitate aliud ab alio distet, quod ter expertus sum, proferam. Vnumquodque metallorum in filum trahi & produci auri fabro mandaui, quin etiam & chalybem: Filum auri forcipibus scissum est, dum stateris penderet sexaginta duodecim grana, deinde vniuscuiusque metalli fila eodē foramine tracta & producta eadem longitudine separatim scissa sunt. Sic vnumquodque

Quod aurum & arg. tenuissima sint, & quare.

Puritas humidi defecati.

Densitas & grauitas auri & arg.

filum

filum ſtatere appenſum fuit. Auri filum vt dixi, drachmam, quæ ſexaginta duodecim ſunt grana pendere vidi: filum argenti eiuſdem longitudinis eodémque foramine tractum triginta ſex, plumbi itidem triginta ſex: filum æris triginta, filum chalybis viginti ſeptem, filum ferri viginti ſex, filum denique ſtanni viginti quinque. Cauſa tantæ grauitatis auri eſt æqualitas & vniformitas partium eiuſdẽ, & perfecta miſtio, tùm verò puritas & tenuitas, & eorundem humidi & ſicci perfecta decoctio & incraſſatio, tandem etiam ſubſtantiæ ſulphureæ & aureæ priuatio. Cauſæ autem contrariæ ſunt, ne tam grauia ſint metalla reliqua, ſcilicet diſſimilitudo partium heterogenearum in metallis, imperfecta miſtio, impuritas, craſſities, & in quibuſdam imperfecta decoctio, in aliis exuſtio, & in omnibus ſulphureæ ſubſtantiæ aureæ & leuis miſtio. Quæ igitur materia magis tota ſubſtantia argento & auro erit ſimilis, magis quàm ad propria iiſdem accidentia accedet, ea profectò iudicanda erit proxima materia, in quam incumbere, & conatus omnes impendere Argyropœiæ & Chryſopœiæ artifices neceſſariò oportet, ſi naturam velint imitari, & vi efficientis cauſæ, de qua mox dicam, formam argenti aut auri eidem inducere. Proximæ enim vnicuique materiæ, quam conſummatam potentiam dicimus, ſtatim vi cauſæ efficientis extrinſecus accedit forma, naturali quadam

Proportio grauitatis metallorum.

Cauſa grauitatis in auro.

Cauſæ contrariæ.

Materiæ proxima quæ.

& quaſi dicas ineuitabili neceſſitate, vt rectè tradidit Ambianenſis ille medicus Fernelius ſummus Philoſophus lib. priore de abditis rerum cauſis. Nonne vides puluerem illum pyrium ſtatim multa mortalium internecione, flammam attritu concipere? Quippe quod nulla alia materia igni ſit proximior ob ſiccitatem & tenuitatem pulueris, quæ qualitatibus ignis conueniant: per motum autem fit calor. Sic qualitatibus omnibus argenti & auri concurrentibus in materia proxima, ex ea fit argentum & aurum. At nequenquam diutiùs remorer aut ſuſpenſum teneam & ratione ex iis quæ dicta ſunt, & experientia, quæ inferius narrabitur, probare poſſum argentum viuum eſſe illam argento & auro materiam proximam potentia. Cuius fidem faciet demonſtratio ex iiſdem, quæ diximus, ſcilicet ſimilitudine totius ſubſtantiæ argenti viui cum argento & auro, & conſenſione eorundem accidentium propriorum cum vtriſque. Primùm norunt inauratores cum nullo alio metallo argentum viuum libentius coire, quàm cum auro puro, hinc cum argento, ex quibus malagma conficiunt, præſertim ex auro & argento viuo, cùm volunt inaurare vaſa, & quò purius vtrunque, eò celerius miſcetur alterum alteri. Quod nulla alia ratione fit, quàm propter ſimilitudinem totius ſubſtantiæ. Cætera verò metalla non ita libenter ample-

Fernelius

Eſt materia proxima auro & arg. apud artẽ.

Similitudine totius ſubſtantię refert aurũ & arg.

amplectuntur argentum viuum, aut si coit cum iis, vt cum stamno & plumbo, non propter similitudinem substantiæ, sed propter indefinitum eorum humidum, aut quòd illis inest argentum viuum. Quod autem argento viuo eadem quæ in argento & propriè auro diximus accidentia, insint, etiam demonstratione probatur. Omnis. n. humidi oleosi vnctuosi & sulphurei expers est. Hinc non exuri, minùs inflammari potest. Hinc in illud ignis imperium non habet, nec sulphur, quod omnia exurit metalla, auro excepto: id enim manifestum est sensibus. Excoquitur enim Cinnaberis factitia ex argento viuo & sulphure, & trita & mista oleo tartari, & igne valido in vase vitreo luto obstructo, in vaporem sursum elata, redit in argentum viuum, nec quidquam illi deperit. Idem in argēto viuo sublimato euenit, ita ipsum appellant. Hæc norūt artifices. Quod si cum argēto viuo à natura mista fuisset portio quædā sulphureę exhalationis, minimè dubitandum esset, ipsum inflammari & exuri potuisse, vt in cæteris metallis, auro excepto, euenire solet. Quod vero ad perfectam partium illius scil. sicci & humidi, vnionem & mistionem attinet, igne non minùs, quàm aurū dissolui potest. Fertur quidem in vaporem suum, sed non propterea partes illius, ex quibus constat, igne dissoluuntur. Nam si ille vapor igneo

Quod accidentia propria & cōmunia cum auro & argento habeat.

Experimentum Cinnaberis.

Igne non exuritur.

Non dissoluitur igne.

calore agente, in vas recipiens, delabatur, in priorem argenti viui speciem coibit & redibit, nulla detracta parte pristini ponderis. Nec quidquam substantiæ illius est in vase, ex quo vapor ille emigrauerit, subsidebit. Est enim vniformis omninò substantiæ & similarium partium non tamen est æqualiter mistum, quantum ad temperamentum attinet.

Cur in vaporem abeat.

Vincit enim humidũ in mistione: hinc in vaporem abit igne agente: ea quoque de causa non est ductile. Quòd autem sit tenuissimum, ex eo apparet, quod corio inuolutum & expressum vehemementer, transmeat corio illæso, quod oleum, quãuis sit tenuissimum essentiæ, trãsmeare non posset.

Grauitas argenti viui.

Tandem argentum vnum eandem ferè grauitatem habet cum auro, sexta enim tantùm parte auro minùs graue esse etiam experientia didici. Quamuis Geber ipsum profiteatur auro esse grauius, sed forsitan de argẽto viuo purgato & paululùm ab humiditate nimia arte vindicato intellexit. Horum omnium accidẽtium cum auro communium eædem sunt causæ quas in auro diximus.

Arg. viuũ est duplex.

At verò argentum hoc viuum quod dicimus esse materiam argento & auro proximam non solùm est illud vulgare argentum viuum, quod palàm à mercatoribus venit, & ex Hispania aut Germania aduehitur: verùm etiam illud, quod ex corporibus imperfectè mistis, plumbo, stanno, ære, & ferro subtili arte prolicitur. Inter quæ omnia & vulgare hoc

hoc nostrum nulla, nisi in solis accidentibus quibusdam, est differentia. Fluida enim ferè sunt æquè & eiusdem proportionis & grauitatis. Verum argentum viuum corporum magis est coctum vulgari, quin etiam inter se aliud alio magis aut minùs digestum est. Omnia tamē vi ignis in vaporem feruntur sursum alia celeriùs, quæ minùs cocta alia tardiùs vehementioríſque ignis vi, quæ magis decocta sunt. Atque hac de causa argētum viuum vulgare, quòd indefinitam valdè habeat humiditatem omnium celerrimè in fugam vis ignis abit. Quod autem in corporibus metallicis insit argētum viuum, ex eo quodammodo iudicatur, quod fusa & igne liquata omnia argētum viuum fluidum conspiciuntur. quãuis frigore proprio ab igne deposita rursus cōstent. Equidem vidi & noui ex omnibus metallis ferro excepto, argētum viuum fluidum excernere, beneficio argenti viui vulgaris. Abluendo enim & macerando perfectè, quicquid impurum est, & à natura argenti viui alienum, abit in fecem, quod superest vaporario calore soluitur. Quod si vltra progredi liceat, ausim affirmare argentum viuum nihil aliud esse, quàm argentum & aurum crudum & indefinitum, quod à causa efficiente definitum statim in illa transit, quod magis apertum post hac fiet. Nolim tamen ex hoc inferre, metalla ex argento viuo seu materia proxima fluxisse, vt Alchemistæ sentiunt, imò

Arg. viuū corporum est magis coctum.

Commune habet indefinitā humiditatem.

Arg. viuū corporibus metallicis inest.

Ex metallis extrahitur commune.

Arg. viuū quid sit.

potiùs cum Ariſtotele & Eraſto ſentio, materiam proximam fuiſſe vaporem exhalatione concretum. Et veluti alimenta in animalium corporibus vertũtur in ſanguinem cùm antea ſanguis non fuiſſent: ſic & materia, quęcunque illa ſit, ex qua metalla ortum habent, non fuit eadem poſt eorum ortum, ſed argentum viuum definitum, quod metallum appellatur, ſpecie tamen aliud ab alio ob diuerſam miſtionem, diſtinctum. Conſtans ergò ſit & ratum, nullam aliam materiam argento & auro proximiorem eſſe apud artem, quàm argentum viuum tam vulgare, quàm quod metallis imperfectè miſtis ineſt. In illud, vt materiam, omnes conatus impendant, quicunque Argyropœiæ & Chryſopœiæ fructus expectant: profligetur omnia alia materia ſulphurea, vnctuoſa, inflammans, adurens, inflammabilia & aduſtibilis. Sola ſubſtantia argenti viui aquea, ſubtiliſſima viſcoſa, indiſſolubilis, nullius ignis ardori cedens, ſit pro materia argento & auro proxima. Ipſum enim eſt quod ignem vincit, nec ab igne vincitur. De materia argento & auro proxima ſatis. His igitur de ea ſic conſtitutis ad cognitionem cauſæ efficientis progrediendum eſt: quæ tanto nobilior & præſtantior eſt, quantò artifex ſuo opere. Ipſa enim eſt, vt dixi vnde eſt principium motus, quæ omnia corpora naturalia mouet vt talia ſint, qualia ipſa eſſe intuemur Dixi etiam ipſam eſſe vniuerſalem aut particularem

cularem. Et vtraque in genere definita eſt. Eſt etiam vtraque naturalis, ſed quæ aliquando ſuopte impetu mouetur, nec aliunde, quàm à natura ſola impellitur, vt agat. Qualis eſt in generatione metallorum in viſceribus terræ, quæ ſola vi naturæ prodiere. Qualis etiam eſt in argento viuo vulgari, & eo quod corporibus metallicis obuolutum eſt, quæ ſola natura in lucem edidit. Quæ autem & quales ſint hæ cauſæ naturales, certò ſcire & aſſequi non poteſt mens humana, nec ſatis conſtat inter peritiores, qui de iiſdem tractauerunt. Sufficiat nobis naturæ liberalitas, quæ à ſuis cauſis efficientibus occultis argentum viuum vulgare, & quod corporibus metallicis potentia proxima eſt inſitum, vltrò nobis obtulit, quod nobis materiam proximam eſſe diximus. Ea inueſtiganda eſt nobis tantùm cauſa efficiens particularis, quæ mouet hanc materiam, vt ex ea concreſcat argentum vel aurum. Huius autem efficientis cauſæ natura ex eiuſdem definitione, ſicut & in cæteris rebus omnibus, intelligetur. Hanc autem definire, tùm ex viribus, per quas agit, tùm ex materia argentifica aut aurifica, cui vires hæ inhærent, neceſſarium eſſe exiſtimauimus. Non enim, ſicut in reliquis ſeminum generibus, vis ſua prolifica cuiquam ineſt. Sic & in materia noſtra proxima vis argentifica aut aurifica ineſt. In ouo enim vis ſua efficiens ineſt, quæ calore adiuuante externo pullum edit. Sic & in

Cauſæ efficientes naturales nobis incognitæ.

Cauſa efficiẽs particularis in hac arte.

Vis artifica nõ ineſt materiæ proximæ.

plantis & reliquis animalium ſeminibus vis ſua prolifica ineſt, nec aliunde exquirenda. At materiæ noſtræ proxima vis ſua argentifica aut aurifica non eſt inſita, quæ tādem in argētum aut aurum promouere poſſit, ſed eſt in alia materia, eiuſdem tamen generis ſed formæ nobilioris, cuius differentiæ ratio in progreſſu explicabitur. Cauſa igitur efficiens eſt vis & facultas argentifica, quæ per qualitates ſuas igneas, calore etiam externo iuuante materiam proximam ſeu argentum viuum, quod ſtanno, plumbo, æri & ferro potentia ineſt, deducit & reſoluit, & idem, nec non argentum viuum vulgare concoquit, & miſtionem eiuſdem nondum perfectam perficit, & radicitùs fingit, vt in ipſum, iam perfecta & conſommata miſtione, noua argenti vel auri forma influat. Argyrogonia autem eſt ſemen argentificum, ex argento vel auro priùs ſoluto perfectè concoctum, ſeu tinctura argentifica candidi coloris. Sicut Chryſogonia eſt ſemen aurificum ex auro priùs ſoluto perfectiſſimè concoctum, ſeu tinctura aurifica rubri coloris, admirabili tenuitate ſubſtantię prędita, quibus à natura vis illa argentifica & aurifica ineſt. Qualitates autem illæ igneæ, per quas agunt, arte & concoctione iiſdem ſunt acquiſitæ. Ex quibus definitionibus ſatis intelligitur vires agentes bifariam diuidi. Aliæ ſunt vt præcipuè agentes, aliæ vt adiuuantes. Præcipuè agentes ſunt vis argen-

Definitio cauſę efficientis apud artē.

Argyrogonia quid ſit?

Chryſogonia quid ſit?

Cauſæ efficientes duplices ſunt.

argentifica & aurifica, & qualitates igneæ semini argentifico & aurifico insitæ. Adiuuantes autem, ignis & calor externus. Quin etiam & semen illud bifariam diuiditur, vt aliud sit argentificum, aliud aurificum. Hæc autem omnia explicatione luculentiori egent, vt veritas quæstionis propositæ: An sit Ars, clarius elucescat.

Causæ adiuuantes.

In definitione igitur vis efficiens est genus. In omnibus enim corporibus naturalibus, quæ ortum subiere, seu ex semine, seu ex quopiam loco seminis, vel in iis, quæ in interitum abiere, vis primùm & facultas quædam adfuit, quæ in hæc ageret, eáque moueret, quæ alioqui sine motu eadem perstitissent. Hæc vis efficiens à triplici fonte promanauit. Quippe cum in omni corpore naturali tria hæc insint, Materia, forma & temperamẽtum, ab iis, nec à pluribus, vires omnes proficisci, certum est, quæ adeò inter sese connexæ sunt, vt mutua opera indigeant, nulláque possit seorsim consistere. Sed harum omnium præstantissima & efficacissima ea est, quæ à forma proficiscuntur. Quod enim nobilior sit & materia & temperamento præstantiores effectus eam edere oportet. Hæc vis, quæ à forma ortum habet, proprietas appellatur, quæ sua inest cuique formæ natiua, nec arte aliqua comparari potest, sed à sola natura. Itaque in definitione dicitur primùm, vis & facultas argentifica & aurifica Argyrogoniæ &

Definitionis explicatio.

Omnes vires & facultates efficiẽtes à tribus proficiscuntur.

Proprietas rerum à forma oritur.

Chrysogoniæ à natura insita. Vt enim in semine canino vis insita est, quæ seminis materiam mouet, vt generetur canis, quæ vis & facultas in nullo alio inest semine, sic& in semine argentifico aut aurifico, vt fiat argẽtum aut aurum, vis sua inest. At quoniam hæc vis & proprietas est accidens, quod per se subsistere non potest, sed semper substantiæ inhæret, idcircò addita est definitio Argyrogoniæ & & Chrysogoniæ seu semper, & ex qua materia ortum haberent, scilicet quod argento semen argenti, & ab auro semen auri trahat originem: nam etsi inania sunt hæc corpora, neque sibi similia in mineris terrę procreent, tamen arte impellente per translationem sibi similia producere dicuntur, cum in semen, vel in id, quod locum seminis obtinet, transilierint. Et veluti dicimus, canem esse causam efficientem canis, sic etiam argentum argenti, & aurum auri. Hinc pulchrè Augurellius.

Semen argenti ab argento, auri ab auro originem trahit.

Aurum est causa efficiens auri.

Hordea cui cordi demum serit hordea, ne tu
Nunc aliũde pares auri primordia, in auro
Semina sunt auri, quãuis abstrusa recedant
Longius & nobis multo quærenda labore.

Quamuis autem à forma eiúsque viribus effectus omnes, quoscunque cernimus, primùm maximéque proficiscuntur, attamen sine qualitatibus primis Elemẽtorum, quæ sunt in misto corpore esset inefficax, non secùs atque artifex sine instrumentis: non quod instrumenta agant, sed quòd per ea meliùs agatur.

Forma sine qualitatib primis ad agendũ inefficax.

tur. Ideóque in definitione dixi, facultates argentificas aut aurificas agere per qualitates igneas. Tantas enim qualitatibus primis vires tribuerunt veteres Philosophi & Medici, præsertim Galenus, vt per eas, quæcunque omnia hac mundi vniuersitate conspicimus, ab iis orta existimauerint. Qualitates autem igneas dixi, quòd maximè præ cæteris agant, imò nisi à cæteris, quibus perfusæ sunt, vis earum obtunderetur, omnia pessundarent. Has qualitates agentes, calorem nempe & frigus, solas esse causas efficientes corporum similarium, statuit Aristoteles, dum solam eorum materiam considerat. At cùm ad formam peruertit, vt qua re hoc argentum sit, hoc aurum, aliam causam constantiorem, esse ait scilicet formatricem. Hæc enim facultas formatrix diligit qualitates primas vt agant, & moueant materiam ad formam, qualis est in mouente actu seu virtute. Sic & vis argentifica aut aurifica per qualitates igneas mouebit materiam nostram proximam, ad formam argenti aut auri capessendam. Erunt etiam adiumento qualitates secūdæ, quæ à materia ortum habent, vt tenuitas & subtilitas substantiæ: non quòd agant, sed quomodo forma per qualitates priores & principes, ita & hæ per posteriores validius aut hebetiùs agunt. Quapropter definitioni additum est, semen hoc admirabili tenuitate præditum esse, quod omnes materiæ nostræ proximæ partes ce-

Qualitatū primarum vires.

Calor & frigus agunt.

Forma dirigit qualitates primas.

Qualitatū secundarū vires.

Qualitates hæ arte intendi possunt.

lerrimè subeat & penetret. Vtræque autem qualitates tam priores, quàm posteriores, cùm sint accidentia, arte intendi posse diximus. Et ob hanc solam intentionem forma acutiùs agit, tametsi ipsa, vt dicunt Phisici, non recipiant magis aut minus. Intendi etiam ex Aristotelis testimonio constat, quod omnia concocta, calida esse affirmet, cùm priùs essent frigida: & quo plus cocta, eò calidiora esse. Hæ igitur sunt causæ præcipuæ efficientes. In omni enim rerum naturalium effectione species primum est & præcipuum efficiens. Quo circa Argyrogonia argentum & Chrysogonia aurũ generat in materia nostra proxima. Temperamentum verò igneum & materiæ tenuitas tanquam instrumenta facultati formatrici subsidio veniunt. De vtroque autem semine differendi ratio, quod soluendum & concoquendum sit, & quomodo ad aliam quæstionem referenda est interdum solutione & concoctione obiter in definitione dictum non intelligatur ex argento solam tincturam candidam argenticam depromi posse: Ex auro verò eandem & rubram aurificam. Forsitan de vtroque semine inferiùs plura dicenda sunt. Vis autem adiuuans etiam in definitione proponitur, quòd non agat primùm nec præcipuè, sed vt externa iuuet istam ad agendum: Ea causa adiuuans est calor externus. Hic in omnium corporum naturalium ortu adeò est necessarius, vt huius ope

Forma præcipuè est causa efficiens.

Temperamentum adiuuat formam.

Vis efficiens adiuuans.

Calor externus.

ius ope causæ illæ efficientes præcipuæ destitutæ & orbatæ tanquam sopitæ iacerent, nec vllum prorsus effectum producerent. Nam plantæ sine aëris circum ambientis calore gallinæ, aut alterius auis ea fouente, nusquam pullos excluderent. Et animalium fœtus absque calore matris in vtero extinguerētur. Nec minoris ęstimanda est caloris externi vis, in toto opere hoc conficiendo. Imò Aristoteles causam præcipuam efficientem in mineris metallorum tribuit qualitatibus externis, calori scilicet concoquendi & frigori constringendi. Calor igitur hic externus, quicquid in metallis imperfectè mistis ab argenti viui natura est alienum, secernit, diducit, & exurit. Idem qualitates igneas vtrique semini insitas, dum concoquitur & producitur, intendit, & in immensum auget. Idem easdem, dum semen in metalla proiicitur, aut in argentum viuum vulgare, adiuuat, vt geminatis & multiplicatis viribus, ipsa misceant, decoquant, & priorem mistionem imperfectam interuertendo aut perficiendo iisdem argenteam aut auream accersant.

Caloris externi vires & effectus.

Postremò definitioni additum est, causam efficientem mouere, dissoluere, mistionem perficere, vt quę illius essent manibus opera, demonstrarem. Primùm enim omnis causa efficiens mouet subiectū, aut materiam ad finem aliquem: Motus autem est via & fluxus

Actiones & opera causæ efficientis.

Motus quid?

Finis quid?

inter materiam & finem illum. Finis autem est vel forma, vel quantitas, vel qualitas, vel locus. Causa igitur efficiens mouet ad varios fines. Et cùm finis Argyropœiæ aut Chrysopœiæ sit, vt producatur argentum vel aurum. Ergò motus ille ad nouam formam contendit. Forma enim plumbi, stanni, æris, ferri, & argenti viui non est forma argenti vel auri, sed illa sunt horum subiectum & materia: & pereuntibus formis cùm materia sine forma subsistere non potest hanc aut illam, scilicet argenti aut auri, induci oportet. Videndum est igitur, qua motus specie abeuntibus formis à stanno, plumbo, ære, ferro & argento viuo (quibus perpetuò inhærere non possunt, si moueantur) alia eisdem scilicet argentea aut aurea succedat. Existimatur vulgo, motum omnem ad formam esse per ortum & interitum, seu generationem & corruptionem, quorum alter alteri semper succedat. Et ortum quidem esse motum, aut potiùs mutationem à non esse ad esse, interitum verò ab esse ad non esse. Quod verum esse concedimus in stirpum & Animalium ortu & interitu. At in solis corporibus simpliciter mistis, non per generationem & corruptionem, sed per dissolutionem & mistionem simplicem formam induci subiecto demonstrabimus. Subiectum autem hoc, quod corrumpitur aut generatur in vegetabilibus & animalibus, aut dissoluitur & miscetur in mistis simplicibus

Pereunte forma vna inducitur altera.

Motus ad formam non semper est per generationem & corruptioné.

In corporibus simpliciter mistis forma per mistionem inducitur.

tantùm

tantùm remotum aut propinquum. Nam quod eſt maruum, id eſt, ſemen, aut quod vicem obtinet ſeminis, nec corrũpitur, nec diſſoluitur, ſed illius ortus eſt per ſolam perfectionem. Quæ omnia dilucidiùs explicare conſtitui, ne paradoxum proferre videar, tùm quod & ſoluendæ quæſtioni propoſitæ, tùm omnibus ferè argumentis Eraſti hac explicatione poſthac ſatis fiet. Omnis motus in Argyropœia & Chryſopœia eſt in miſtione & diſſolutione ſimplici. Quid autem miſtio & diſſolutio ſit, quomodo diuidatur, & in quibus ab ortu & interitu differat, & quid vtriſque commune ſit, dicam, quoniam quæſtiones hæ magni admodum ſunt momenti.

Motus in Argyropœia & Chryſopœia eſt miſtio & diſſolutio ſimplex.

Variæ de miſtione ſunt opiniones. Ariſtoteles ſub finem tractatus de miſtione ſic eam definit. Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio. Hanc definitionem reprehendit Scaliger libro Exercitationum ſuarum, eámque indignam Philoſopho reputat, & ſic definit. Miſtio eſt motus minimorum corporum ad mutuum contactum. Hæc definitionis varietas, & quæ de ea plerique ſenſerunt, propter miſtionis vocabulum æquiuocum difficultatem pepererunt. Cùm enim omnia, quæ diximus naturalium corporum genera, ſcilicet inanima vt lapides & metalla & animata, vt ſtirpes & animalia, ex elementorum permiſtione concreuerunt, miſta omnia appellari poſſunt. Sed primi generis corporibus

Miſtio quid ſit Ariſtoteli.

Definitio Miſtionis alia.

Corpora inanima per solam mistionẽ oriuntur.

mistionis nomen propriè conuenit, & per solum mistionis motum ortum habuere: at aliorum corporum genera etiam præter mistionem aliquid aliud habent, nec illorum perfectio à solo mistionis motu prodiit. Hinc Aristoteles ante mistionis definitionem discrimen ipsius à cæteris mouentibus mutationibus posuit, obscurè satis & breuioribus verbis, quàm necessarium fuisset: & mistionis diuisionem silentio præteriit, nec verbum vllum de dissolutione simplici, quæ mistioni aduersatur, addidit. Cum autem, vt dixi, mistionis & dissolutionis vocabulum sit æquiuocum & in æquiuocis partiendum priùs, quã definiendum, vtriusque diuisionis aliquæ afferendæ sunt, scilicet tam eius quæ generaliter & confusè, quàm eius, quæ propriè mistio dicitur. Mistionis vocabulum indicat ea, quæ miscentur, plura esse numero. Mistio alia est prior, alia posterior: prior est, quæ ex primorum quatuor elementorum concursu proximè & immediatè fluxit, qualis est in lapidibus & metallis, & inanimis & subterraneis corporibus, quæ primam esse eorundem Elementorum sobolem diximus. Posterior verò est, quę ex iam mixtis elementis prodiit, qualis est in stirpibus & animalibus, eorúmque partibus. Aliter potest diuidi, vt alia sit à natura sola, qualis est in omnibus corporibus naturalibus, quæ solius naturæ vi concreuerunt. Alia ab arte, qualis est in corporibus iam à na-

Mistio & dissolutio opposita sunt.

Mistionis diuisio prima.

Diuisio secunda.

à natura ortis, quæ rursus arte miscentur, vt in diuersæ speciei corporibus, seu sint fusilia, aut liquida, aut sicca, aut minutissima corpuscula trita. Sed & eiusdem mistionis alia est diuisio, vt altera sit ad formam vnicam eorum, quæ miscentur, constituendam: qualis est in omnibus corporibus naturalibus, quę suam quæque eámque vnicam formam consecuta sunt: Altera est, quæ ad vnionem minimorum corporum & contactum, manentibus eorum formis natiuis, qualis est in liquidis corporibus, vt aqua & vino mixtis, aut fusibilibus aut metallis, aut siccis, quæ in tenuissimas partes redacta simul miscentur. In hac enim mistione, diuersa hæc corpora suas quæque formas retinent. Alia etiam est eiusdem mistionis diuisio, vt alia sit perfecta simpliciter, alia comparatè. Mistio perfecta simpliciter est eorum quæ cum diuersarum essent priùs specierum, postquam coierint, vnicam formam substantialem adepta sunt, vt sunt omnia corpora naturalia. Mistio perfecta comparatè est, quæ etsi simpliciter in sese introspecta perfecta dicatur, ad alias tamen collata magis aut minùs perfecta est, tam in his quæ diuersorum sunt generum, quàm quæ diuersarum sunt specierum sub vno genere proximè comprehensarum. Quin etiam & hæc mistionis perfectio comparata variè æstimatur, aut exactionibus corporum quæ mista sunt, præstantioribus aut

Diuisio tertia.

Diuisio quarta.

Mistio perfecta comparatè æstimatur variè.

ignobilioribus: aut ex connectione partium mistorum corporum solida vel imbecilla: aut tam ex viribus & actionibus corporum mistorum, quàm eorundem compagine. Mista enim tantùm corpora, vt lapides & metalla, si eorum vires & actiones considerentur, ignobiliora cæteris corporum generibus iudicabuntur, quod ex sola elementorum mistione constent. At plantæ motum quendam habent, animalia magis manifestum: homines verò præter motum rationis & intelligentiæ sunt participes, & præstantissima edunt opera. Itaque agendi facultate magis definiuntur. Et hac ratione perfectiora dicuntur mista inanimis, nec non cæteris aliorum corporum generibus. At si iisdem plantis & animalibus connexionem & soliditatem opposuerimus horum sanè mistio erit perfectior. Non enim ita facilè in partes distrahentur aut dissoluentur, quippe quod magis perpetiendi quàm agendi munere defungantur: Sed & inter se lapides & metalla, & hæc inter se collata etiam perfectè magis aut minùs mista dicentur. Quorum enim metallorum partes, ex quibus constant, humido scilicet & sicco, adeò tenaciter hærent, vt igni dissolui aut distrahi haud quaquam possint, perfectiùs mista dicentur, vt argentum & aurum. Atque hac de causa etiam argentum viuum. Quæ enim præter hanc arctam & indissolubilem mistionem adeò æquali sunt temperamento, vt ferri sursum igne

Propter vim agēdi stirpes & animalia perfectiora sunt quam mista.

Mista simpliciter perfectiora sūt propter perpessionē.

Arg. viuū perfectius mistū est.

igne nequeant, perfectiora etiam mista appellantur, vt eadem agentum & aurum, secundùm vniuscuiusque perfectionis gradum. Quorum omnium accidentium causa in superioribus est dicta. Quod si in his corporibus inanimis aliquod corpus reperiatur, quod vires & qualitates nimium exuperãtes obtineat, siue à materia, siue à forma seu à temperamento, siue ab omnibus profectas & præter has fuerit indissolubile & fixissimum, & in ignis violentia persistat, id vndequaque perfectissimè erit mistum. Non enim solùm perpetiendi potentia, sed agẽdi facultate erit definitum. Sanè in metallis nullum tale corpus reperitur. Aurum enim quod in metallis perfectiùs est mistum, nullis facultatibus agentibus, sed perpetiendi tantùm potentia est præditum. Quocirca cæterorum metallorum mistionem imperfectam haud quaquam perficere potest. Vtramque autem scilicet agendi facultatem & perpetiendi potentiam Argyrogonia & Chrysogonia, id est, semen argẽteum & aureum obtinent, excellentius verò semen aureum. Quocircà vndequaque perfectè mistum cum sit, cæterorum corporum & argenti viui vulgaris imperfectam mistionem perficit, vt mox dicam. Cur autem semen argentificum aut aurificum perfectiori mistione & facultatibus sit præditum, quàm argentum & aurum, causa est, quod elementa corporum mistorum, quæ rursus miscentur, alios

Perfectiora mista igne sursũ non ferũtur.

Perfectissimè mistũ quid.

Semẽ aurificum est perfectissimè mistum.

Quæ mista iterum soluuntur & miscentur præstantiores vires ha-

bet quàm semel & primò mista.

& nobiliores effectus pariunt, quàm quæ primò miscentur. Vires enim Elementorum nondum mistorum solam mistionem efficiunt, cum à nulla alia particulari & insita vi, sed ex sese moueantur, qualitatibus externis iuuantibus. At qualitates in elementis iam mistis alterius imperio subiiciuntur, & tantùm sunt instrumenta formæ misti, quæ multò præstantior & nobilior est, quàm forma simplicis elementi. Calor enim ignis, vt ab anima mouetur, in animalibus est principium nutritionis, qui sine anima non aleret. Sic argentum & aurum ex elementis & eorum viribus & qualitatibus proximè fluxerunt, ex Aristotelis & cæterorum opinione. Hinc simplex est & infimo gradu eorum mistio. Semen verò argentificum & aurificū ex argento & auro & suo argento viuo iam mistis, rursus coctione iterata, æmula naturæ arte ministra prodierunt, hinc admirabiles producūt effectus. Sicut autem mistionis vocabulum diximus indicare ea, quæ miscentur, plura esse prius numero, deinde fieri vnum, sic ex diuerso dissolutionis vocabulum indicat id, quod dissoluitur, vnum prius quiddam fuisse, quod in plura postea diducitur. Vnum quiddam intelligo quod vel continuum est vnius formæ, vt vnum quodque corpus naturale sua forma constans: aut cuius partes sunt tantùm contiguæ, & ex corporibus diuersæ speciei coagmentatæ, vt vnum corpus esse

Plura numero si miscentur fiunt vnū.

esse videantur, vt aqua mista vino, aut argentum auro. Huiuse corporis genera, si dissoluantur, in priorum formarum suarum corpora redibunt, cùm antùm essent contigua, nisi corrumperentur Illa verò, quæ scilicet vniformis sunt esseriæ, & in quibus materia & forma continuatur, bifariam dissolui dicuntur. Aut enim fit resolutio omnium accidentium eorum vsque ad primam materiam, nec quidquam sensie prioris corporis dissolui apparet, vt in mnibus exustis corporibus: Et hæc dissolutio dicitur interitus siue corcorruptio: aut pereunt accidentia quædam, & quædam sensilia supersunt, & communia tam priori meriæ, priusquam dissolueretur, quàm iandissolutæ, vt mox dicemus in metallis, quan argentum viuum dissoluuntur. Nobis amistione & dissolutione simplici est serm, quæ ex his, quæ dicta sunt, ab ortu & intetu, seu generatione & corruptione differe manifestum est. In his enim fit interitus prioris substátiæ, & ortus alterius, & omniumccidentium priorum mutatio, nihílque exo, quod priùs sensile erat, superest. Ideóque las non per motum, sed permutationē fieri ixit Aristoteles. Vt cùm ligna exuruntur, prs in fumū, pars in cineres vertitur, & praca corruptione nihil sensile prioris materiæligni, nec accidentium eiusdem cernitur anc corruptionē appellant resolutionem primá materiā. At in his mistione

Resolutio duplex.

Mistio & dissolutio simplex ab ortu & interitu dicuntur.

In ortu & interitu fit omnium acciden- tium reso- lutio. Resolutio in primam materiā.

In mistione & dissolutione simplici non fit resolutio omniũ accidentiũ.

scilicet & dissolutione simpici, qua miscentur diuersa corpora, aut quæ mista dissoluuntur, non omninò quæ sensila accidentia priùs fuerant, dispergunt, sed aliqid ex eorum materia priori sensile perit, aliquid manet. Cùm enim ad lapidis aut metalliortum elementa miscentur, quæ vera est mistio, quæ in his priùs fuerant sensilia, etiam post mistionem conspiciuntur. Lapides enim sensilem terræ qualitatem referunt, metaa aquæ. Sed & cum iisdem lapides in calcem dissoluuntur, terram referunt. Metalla cum in argentum viuum soluuntur, aquam. In cæteris mistionis aut resolutionis speciebus, i quibus diuersarum formarum corpora secernuntur, nulla est dubitatio. Metalla enim quafusione liquantur, & mista putantur & rusus arte dissoltur, & mista putantur & rusus arte dissoluuntur, suas proprias formas & sua accidentia propria seruãt, sicut & diuersorum corporum grana. Hoc etiam inter has, generationem & corruptionem & dissolutionem & mistionem simplicem interest, quod in ra mistione, contrariæ qualitates eorum, quæ miscentur, viribus quodammodo paribus concurrunt, & ad mediocritatẽ moderationéq; referuntur: & hic motus ad simplicem tend mistionem. At in generatione contrariorum vires præter motum sunt impares, ideóq; quod minus est & imbecillius ab ampliore viñ perimitur. Idcircò neque lignum igni, neque alimen tum corpori permisceri dicimu sed illa

In mistione simplici qualitates æqualibus viribus concurrũt
In generatione vires contrariorum sunt impares.

corrum-

corrumpi, noua oriri. Hæc enim motio ad interitum vnius & ortum alterius tendit. Sunt autem vtriusque ortui & interitui, & mistioni & dissolutioni veræ & simplici hæc communia, quod corporis moti prior forma perit, noua oritur & succedit. Sed eisdem hoc commune est, quod ceu ortui contrarius est interitus, sic mistioni dissolutio. Veræ mistioni & perfectæ, de qua est quæstio, hæc sunt propria, vt sit eorum quæ miscentur, communis materia: vt tenuissima sint, & facile secari possint, qualia sunt liquida aut fusilia: vt contrariis pugnent qualitatibus: & vt paribus quodãmodo viribus certẽt. His igitur legibus obseruatis erit mistio, quæ sic definiri poterit. Mistio vera perfecta & simpex, est diuersorum minimorum corporum in cõmuni materia motus per qualitates pugnãtes æquis viribus, vt fiat vnio materiæ & formæ futuræ, & vnica ex omnibus mistis forma noua exurgat, manẽtibus quibusdam sensilibus accidentibus prioris materiæ & subiecti. Sic ex aduerso dissolutio vera simplex & perfecta, est misti corporis partium essentialium, quę vnicam formam constituebant, secretio in alias partes manẽtibus in illis quibusdam sensilibus accidentibus prioris materiæ aut subiecti. Quod autem in superioribus dictũ est, aliquo corrupto aliud gigni, & aliquo genito aliud corrũpi, & aliquo misto dissoluto simpliciter aliud mistum oriri, & aliquo misto aliud dissolui, &

Communia ortui & interitui, mistioni & dissolutioni.

Propria mistionis veræ.

Definitio Mistionis veræ perfectæ & simplicis.

Dissolutionis veræ, simplicis & perfectæ definitio.

Differẽtia mutationis & perfectionis ex natura

subiecti est.
Materia remota media & propinqua corrumpitur & dissolbitur.

sibi inuicem succedere, distinctione ex subiecti natura indiget. Mutationes enim hæ inuicem succedentes in materia remota & media aut propinqua tantùm locum habent, non autem in proxima. Vt puta, gignendus est canis, elementa sunt materia remota, panis caro & alimenta, media, quæ semen immediate præibit, propinqua dicetur. Sic in Metallis materia remota ab argento & auro sunt Elementa, quæ subsequitur ante metallorum ortum, media est, metalla propinqua. In hac varia & meltiplici materia priusquam ad proximam ventum sit, plures mutationes per ortum & interitum in vegetabilibus & animalibus, & per dissolutionem & mistionem in mistilibus simpliciter succedere necesse est. At vbi ad materiam proximam, id est, semen, aut quod loco est seminis, peruentum est, non interit subiectum, vt suboriatur aliud, sed idem tantùm subiectum perficitur. Quod mihi vnus omnium perspicacius animaduertisse & subtilissimè dixisse videtur Scaliger exercitatione sexta, distinctione secunda. Ouum enim quod est materia pullo proxima, interim cum fouente gallina mutantur, dum ad pulli formam peruenerit, non corrumpitur, sed perficitur. Et perfici hinc apparet, quod in ouo fracto putamine nihil corruptum intus inuenitur. Et quoniam, inquit, ouum & semen corrũpi vulgò dicitur: verùm apud sapientes,

Materia proxima non corrumpitur sed perficitur.

Scaliger.

quo-

quoniam nihil ex ſubiecto perit, non corrumpuntur, ſed perficiuntur. In perfectione enim nihil ex materia deperit, ſed tota perſiſtit, priore tantùm forma deperdita, alia ſuccedente. Sic argentum viuum ſiue vulgare ſiue ex reliquis metallis proluitum, miſtum Argyrogoniæ aut Chryſogoniæ non corrumpitur, ſed tantùm perficitur. His fundamentis ſic ſtabilitis, quæ neceſſaria videbantur ad ea, quæ ſequuntur conſtruenda, redeamus ad definitionis, cauſæ efficientis explicationem. Dixi cauſam efficientem diducere argentum viuum à ſtanno, plumbo, ære & ferro. Ipſa enim non ſunt proxima materia argento aut auro, ſed propinqua tantùm, ideóque diſſolutione ſimplici ſecernenda eſt materia proxima ab eorum materia, quæ eſt argentum viuum. Nec refert, fuerit necne fluidum illud argentum viuum, dummodo ab omni ſorde & ſubſtantia ab argenti viui natura aliena, purgatum fuerit: imò quò perfectiùs concoctum erit, proximus erit ſubiectum. Si enim à materia definiendum ſit nobis argentum & aurum, profectò nihil aliud erit vtrumque quàm argentum viuum purum, ab omni ſubſtantia aliena defecatum, & definitum & coctum, ſecundùm cuiuſque gradum. Aurum enim purius longéque magis decoctum vſque ad extremum naturæ metallicæ, argentum minùs. Hæc ita ſe habere ex mutuo amplexu argenti viui & auri & argenti, tùm verò ex

In perfectione materia non perit, ſed formę pereunti alia ſuccedit.

Metalla non ſunt materia proxima ſed propinqua auro & argento.

Argentum viuum ex materia proxima auro & arg.

Definitio argenti & auri à materia.

ſimilitudine in iiſdem accidentium quorundam propriorum in ſuperioribus manifeſtum eſt, tùm quod arte ferè aurum in argentum viuum fluidum ſoluitur. Ignis, quem cauſam dixi efficientem adiuuantem, hanc diſſolutionem potiſſimùm præſtat. Separat enim Heterogenea, & congregat Homogenea: Idque ſolus efficit, vel identidem & ſæpiùs, atque alternis vicibus purgando hæc corpora vel in momento admiſtione ſeminis argentifici vel aurifici, quod argentum viuum eorundem quatuor corporum retinet, interim dum ignis externus Heterogeneum & impurum diſſoluit & excernit. Poſt diſſolutam à quatuor illis corporibus alienam ab argenti viui natura ſubſtantiam, quod relinquitur ignibus inexpugnabile eſt, ſcil. argentum viuum purum, cuius tamen miſtio nondum eſt perfecta ad argẽti & auri miſtionem collata. Quo circa ipſam, nec nòn argenti viui vulgaris perfici oportere ſubiunxi. Miſtionem Elementorum in vnoquoque corpore naturali perfectá appello, cùm æquales eorundem, vires in vnũ coierint, vt calidi, frigidi, humidi, ſiccíque pares ſunt portiones, & iuſtitia, vt dicere ſolent Medici. Ideóque inter diuerſæ ſpeciei metalla ſolũ aurũ eſt tẽperamentum, & æquale. Eſt. n. tẽperamentum eorũ, quæ in miſtis ſunt, principum qualitatũ proportio æqualis. Hác autẽ æquabilitatem non magnitudine molis aut põdere metiri licet, quippe quod in metallis, aut

Ignis ſoluit argentum viuũ ą̃ metallis.

Effectus ſeminis & ignis in materiam proximã agentis.

Miſtio perfecta in corpore naturali. in definitione cauſæ efficiẽtis.

Definitio Temperamenti.

aut argento viuo vberior ſit terræ & aquæ copia, quàm in reliquis omnibus corporibus naturalibus, ſed poteſtatis vi & efficientia cui omnia planè accepta referuntur. Quod igitur elementorum ex quibus aurum concreuit, vires & qualitates ſint, æquales, in partes diſtrahi, aut in fumum ſe attolli non patitur: ſiccum enim retinet humidum, ne euolet: & humidum conglutinat ſiccum, ne in cinerem abeat: frigidum calidi ferociam coërcet, & calidum frigidi torporem excitat. In ſumma in auro omnia æqualibus viribus agentia & patientia ſeſe ad moderationem redigunt. Sed argentum viuum vulgare propter frigidi & humidi exuberantiam, violentia ignis externi ſurſum in vaporem fertur. Non tamen ſecernuntur partes ſiccæ ab humidis propter miſtionem vtriuſque arctiſſimam, propter quam humidum rapit ſecum terreum. Quod perinde eſt, ac ſi dicatur, ſubſtantias elementorum in argento viuo adeò vnitas quidem, vt diuelli ab inuicem nullatenus poſſint: vires autem aut qualitates eorundem impares & inæquales eſſe. Quæ autem in elementis argenti viui reliquorum metallorum vires aut qualitates inſunt, non vſque adeò ſunt inæquales, magíſque ad temperamentum accedunt: attamen in omnibus indefinitum eſt humidum, quòd definire neceſſe eſt, vt ad temperamentum argenti aut auri accedat. Tum perfecta appellatur miſtio. Hæc perfectio

Cur aurũ non cedat igni.

In auro omnia moderata ſunt.

Mercurius fugit ab igne, ſed non diſſoluitur.

Humidũ in Mercurio eſt indefinitũ.

Miſtio ſic

cõcoctione.

cõcoctione fit. Concoctio enim, ait Aristoteles, est perfectio quædam. Quæcunque enim concocta sunt, perfecta etiam sunt & genita. Concoctionem autem esse perfectionem, inductione probatur. Quæcunque enim communiter concoqui conceduntur, priusquam concoquantur, imperfecta esse conspiciuntur, ea denique per concoctionem perfecta fieri. Dixi autem concoctionem & perfectionem fieri à causa efficiente, quam definiui. Quod quomodo & cur ita accidat, pleniùs etiam explicandum est.

Quomodo & cur causa efficiens concoctione perficiat materiam proximã.

Materia ex qua arte ministra, semen argenti aut auri prodiit. Fuit argentum viuum, sed coctum scil. argentum & aurum. Semen hoc calidum est & siccum: concoctione enim has vires & qualitates acquisiuit, quippe quod omnia cõcocta & calida sint. At materia nostra proxima, i. argentũ viuũ vulgare, & quod cæteris metallis inest potẽtia proxima, frigidum est & humidũ, aliud alio plus minúsve. Cùm igitur semen & argẽtum viuũ admiscẽtur, facilè coëunt, ob eãdem vtriusq. originem proximã & fusione calor igneus ea magis miscet. Qualitates autem seminis calidæ & siccæ agũt in qualitates frigidas & humidas argẽti viui, & illæ agẽdo repatiũtur, & hæ patiẽdo reagunt. Quòd si ambarum contrariæ fuerint vires æquales, vt puta, semen sit calidum & siccum octo gradibus, argentum viuum frigidum & humidum totidem gradibus, reducetur

argen-

argentum viuum ad temperamentum. Et ferè idem fiet, quod in aqua calida & feruente mista aquæ frigidæ, quæ ob contrarias qualitates pugnantes fit tepida, & tẽperata. Verùm calor in aqua est aduentitius & externus. At in semine argenti vel auri insitus. Quòd si seminis & argenti viui vires fuerint inæquales, non sequetur temperamentũ. Veluti si seminis calor & siccitas fuerint octo graduum, argenti autem viui frigiditas & humiditas vnius tãtùm gradus, hæ dominio illorum subiiciẽtur, & argentum viuum vertetur in semen, minoris tamen efficaciæ ob euictos aliquatenus caloris & siccitatis gradus in semine. Dixi enim ortum & interitum fieri, cùm vires agentium nimium superant, patientium verò parũ resistunt, mistionẽ verò, quãdo æqualibus viribus contrariis certant. Hinc argentum & aurum in natura sua argento viuo mista in ipsum non agunt: non enim contrariis inter se pugnant qualitatibus, sed eodem ferè sunt temperamento. Cùm igitur argento viuo tam vulgari, quàm ei quod cæteris corporibus mistum est, accesserit temperamẽtum argenti vel auri in qualitatum alterutrius seminis pugnantium æquabiliter adiuuante igne externo consummata erit permistio, & statim forma argentea vel aurea prosiliet, & radicitùs tinctum reperietur metallum. Terreum enim argenti viui actu est album, & potentia rubrum, & cùm decoquitur mistione seminis aurifici ru-

Cur aurũ & arg. in natura sua non agant in arg. viuum.

bescit, & suum humidum fingit in citrinum. Color enim omnis est à ferro decocto: hoc in ora citrini coloris demonstratur, quæ co-ctione fit rubra. At semen argentificum, cùm sit semicoctum tantùm non mutat colorem terrei, sed argentum viuum permutatum retinet proprium colorem, concoctum tamen magis. Plura de materia proxima & causa efficienda dicenda fuissent, sed ad alias pertinēt quæstiones. Satis sit ad eam, de qua agitur, verè apertè, & sine fraude hæc demonstrasse.

XII. Pars Argyropœiæ & Chrysopœiæ est Methodus.

Tertia ex ordine Argyropœiæ & Chrysopœiæ pars tractanda succedit, Methodus scilicet agendi, quæ præceptiones tradit, qua arte argentum viuum vulgare præparandum sit, vt propius ad argenti vel auri naturam accedat: & metalla imperfectè mista in materiam argento vel auro proximā resoluenda sint: Tum verò qua via ex argento vel auro semen argētificum vel aurificum producatur. Tandē quo modo eadem materia proxima cum alterutro semine misceatur, vt ex amborū mistione, argenteæ aut aureæ formæ corpus exsurgat. De hac parte breuius disserere decreui. Sanè noui qua arte argentū viuum præparetur, aut stannum, plumbū & æs in idē resoluantur, & suprà quidquā attigi. Sed & quomodo ex argento & auro vtrūque semen oriatur, aliquid subodoratus sum. Verùm satius existimaui, quæ tanta celauerunt arcana Antiqui huius artis periti, ne vilesceret ars, silētio etiam pręterire, quàm temerè in vulgus tanta mysteria profanarę.

Author nouit artē præparandi arg. viuum resoluendi metalla in idē: & quomodo semen oriatur ex auro.

ſat erit, imò plus, quàm deceat, ſi miſcēdi materiam proximam cum vtroque ſemine methodum indicauero. Miſtionis huius methodus bifariam diuiditur. Altera eſt æmula & imitatrix naturæ. Altera eſt violenta. Prior eſt quę imbecillo primùm calore externo, deinde ſenſim & per gradus aucto materiam proximã vnà cum ſuo ſemine argentifico vel aurifico conquoquere docet, dum ad miſtionem & vnionem perfectam peruenerint, vt hinc argentũ vel aurum concreſcat. Poſterior methodus miſtionis ſcilicet violēta eſt, quæ proiecto alterutro ſemine in ſtannum, plumbum, æs, ferrum & argentũ viuum, cuiuſcunque generis demonſtrat argentum vel aurum ſtatim in momento, igne adiuuante, producere. Diſcriminis huiuſce ratio eſt, quod in priori agēdi methodo minus validæ ſint vtriuſq; ſeminis vires & qualitates igneæ, quam vt momēto poſſint humidum argēti viui vel vulgaris, vel ex cæteris metallis proliciti conquoquere & definire, itaque ſenſim moueri materiam expedit. At in poſteriore modo vires hæ igneę ſeminis adeò ſunt validæ, vt primo ſtatim concurſu & contactu calore externo adiuuante omne cuiuſque generis argentũ viuum decoquant & tranſmutent in argentũ vel aurum: non ſecus ac ignis violētiſſimus & ſicca & viridia ligna ſtatim ſine diſcrimine conficit & exurit, nec impedit humidum aqueum, cùm tanto feruori reſiſtere nequeat. Qui tamen

Methodus miſcendi materiam proximã cum ſemine duplex.

Definitio prioris methodi.

Definitio poſterioris methodi.

Ratio diſcriminis vtriuſque methodi.

Plures & diuersæ viæ vtriusque methodi.

ignis, si imbecillus esset, viridia ligna non æquè tanta celeritate exureret. Vtriusque methodi in opus deducendæ ratio non omnibus vna eadémque est, quibus tamen vnus atque idem est finis & scopus: verùm methodum, quæ magis ad naturam accedit, magísque sensibus fidem faciet, paucis perstringam.

Duo modi prioris methodi.

Priores methodi duos tantùm agendi modos recitabo. In omni opere, inquiunt physici, opus est agentis robore, & corporis passuri dispositione. Argentum viuum vulgare etiamsi sit materia argento & auro proxima, tamen est temperamento præter modum frigido & humido atque indefinito, & longè magis ab argenti aut auri cõcoctione distat, quã argentũ viuum à reliquis metallis arte prolitum.

Quomodo ex argento viuo cõmuni cum auro misto producatur aurũ item argẽtum.

Si igitur consilium sit argentum viuum vulgare in argentũ vel aurum transmutare ex præscripta priore methodo, necesse erit illud priùs purgare, & à nimia frigiditate & humiditate vindicare: alioqui concoctioni nimium esset cõtumax Hæc igitur est præparatio. Artifices autẽ, qui in his versati sunt alloquor, & vocabulis artis vti cogor, vt significantiùs omnia cõprehendantur.

Præparatio argenti viui.

¶Sublimetur argentũ viuũ quater vel pluries, dum niuem albedine superet, & vt vitrum in sublimatione excoctũ transpareat. Hinc teratur & perfusum oleo tartari, igne valido adhibito destilletur in vas recipiens & reuiuiscat. Sic argentum viuum puris-

purissimum & splendidissimum habebis, & à frigiditate & humiditate nimia naturali aliquatenus vindicatum. Fæces enim, quæ illi in sublimatione miscentur, quidquid est impuri retinent, humidum autem rarius, cuius & minus coctum in pulueris similitudinem ad superiorem vasis partem conscendit. Purior autem pars magísque decocta grauior & solida in media vasis parte subsistit & adhæret, quæ peruia est, & ex eadẽ argentũ viuũ resolatũ & fluidũ est quodámodo temperatũ. Ex hoc argento viuo defæcato, & argento vel auro in calcem reductis fiat malagma. Teratur diutissimè sub marmore, deinde exprimatur crassiori linteo obuolutũ, dum aliqua argenti vel auri pars tenuior vnà cũ argẽto viuo perfluat. Addatur nouũ argentũ viuum purgatũ malagmati, quod ob crassitiẽ trãsmeare nõ potuit, rursúsq. exprimatur. Et identidẽ toties hæc opera repetãtur, dũ totũ malagma percolauerit. Quod si nimiũ erit cõtumax. fimo equino calẽte sepultũ aliquot diebus emolliendũ & attenuandũ erit, idq. repetendũ, dũ alterutrũ semen totũ cũ argento viuo perfluxerit. Sic argentũ & aurũ soluta erunt in argentũ viuum cum argento viuo. Hæc ita resoluta iteratis vicibus destilla, dum tota in recipiens vas stillauerint sub argenti viui forma. Quod si quid imo vasis substiterit, addendum est ei nouum argentum viuum terendum, fimo equino calente emolliendum & attenuandum,

Solutio auri & argenti in Mercurio.

ídque repetendum, dum totum in vas recipiens ſtillauerit.

Diſſoluendæ vnicæ vnciæ argenti vel aurì quadraginta ferè vnciæ argenti viui præparati admiſcendæ erunt. Quæ ſi non ſuffecerint, rurſus addendæ aliæ vſque ad quinquaginta aut ſexaginta ad ſummum, quarum beneficio & vi humida potentia vnica illa vncia alterutrius ſeminis verè in argentum viuum ſoluta conſpicietur. Hoc argentum viuum metaphoricè animatum appellant. Nam veluti in animalium corporibus anima caloris eſt principium & cauſa, & ſine qua mortua iacerent corpora: ſic argentum vel aurum principium eſt caloris in argento viuo, quod alioqui frigidiſſimum nec quidquam alteratum perſiſteret. Eſt autem argentum hoc viuum animatum adeò argento aut auro proximum, vt ſolum ex ſeſe ſolo agente calore externo pauco tempore in argentum aut aurum tranſmutetur. Sed vt expeditius opus peragatur, ſumatur drachma huiuſce argenti viui animati eíque admiſceatur drachma argenti vel auri in calcem redacti. Redigitur in calcem ſi prius ex alterutro & argento viuo malagma conficiatur, deinde igne ſenſim exſpirauerit argentum viuum. Duæ hæ drachmæ ſcilicet argenti viui animati & calcis argenteæ vel aureæ ſimul miſtę lento primùm igne, poſt aucto ſenſim vſque ad ignitionem maximam decem dierum ſpatio decoquantur, dum in pulue-

rem

Argentũ viuum animatum quid.

Calcinatio auri & argenti.

rem candidum vel fuluum desierint. Huic deinde pulueri æquale pondus eiusdem argenti viui animati adiiciendum, miscendum, concoquendum vt prius dum in puluerem abierit, & colorem candidum vel citrinum contraxerit. Atque ita iteratis vicibus æqualitate ponderis seruata, totum argentum viuum animatum in puluerem album aut rubeum siue citrinum figetur. Hic puluis in pilulas albumine oui immisto formatus, & in portiunculam argenti vel auri sensim proiectus, in argentum vel aurum purissimum transmutabitur. Posterior prioris methodi modus eadem ratione nititur. Argentum enim viuum à stanno, plumbo & ære summa arte proiicitur, & calci argenteæ vel aureæ admiscetur, vt in superiori traditum est, concoquitur, & in corpus argenteum vel aureum reducitur. Sed nullum ex corporibus omnibus metallicis argentum viuum calci aureę admistum celeriùs & perfectiùs mutatur, quàm quod ab argento puro arte prolicitur. Hæc omnia operam, diligentiam & manum artificis expostulant, nec nisi progressu temporis fieri possunt. A quibus excusabimur à posteriori agendi methodo, scilicet si desiderato semine perfecto argentifico aut aurifico potiemur. In omnia enim metalla igne colliquata proiecta, & colliquata illius portiuncula miscetur statim solis partibus argenti viui eorundem, ipsumque retinet, concoquit & vnitum perfectè tingit

Quomodo ex argento viuo, ex Ioue, Saturno, & Venere, prolicito aurum & argentum producatur.

Mercurius Lunæ celeriter in Sole mutatur.

Posterior agẽdi methodus per proiectionem.

in argentum vel aurum. Ignis autem externus, quidquid est impuri, exurit, & in fæcem supernatantem excernit.

Confirmatio Chrysopœiæ & Argyropœię.

Vt autem ordinem propositum sequamur, confirmandum est nobis Argyropœiam & Chrysopœiam artem esse veram. Cùm autem ad confirmationem quæstionis: An sis: multum valeant Autoritas, ratio & experientia, possem primùm multorum grauissimorum virorum testimoniis & autoritate confirmare veram esse artem, nisi de his editus esset liber, cui titulus est: De veritate & antiquitate artis chemicæ & pulueris, autore Roberto Vallense, is editus Parisiis apud Fridericum Morellum 1561. Quapropter, qui volent authoritatib. probari sibi veritatem artis, eos ad eiusdem libelli lectionem relegamus. Sed magis rationibus innitendum, & experimentis quibusdam demonstrandum esse putauimus.

Argumēta à rationibus probabilibus ducta artem confirmātia.

Nullis igitur probabilioribus rationibus & argumentis defendenda est nobis hæc Argyropœia & Chrysopœia, quàm ex iis, quæ dicta sunt, & quæ in refellendis Erasti argumentis posthac dicenda sunt. Scilicet ex cognitione materiæ argento & auro proximæ & causæ efficientis. Quæ cùm vtraque ex iis, quę natura sponte sua in lucem edidit, arte elici possit, nemini dubitandum esse puto, quin illa ab hac perfici, & argenti aut auri formam ex præscripta vtraque methodo arripere possit.

Materia & causa

Sunt enim omnium operum & effectuum

tam

tam naturalium, quàm artium fundamenta materia & efficiens causa. Tantò veriùs autem id præstari posse existimandum erit, quanto verissimum erit in artis potestate esse id, quod necessarium est ad impellendas causas naturales, vt agant. At quod necessarium in arte videtur, hoc solum est vt misceat elementa materiæ proximæ & imperfectam mistionem perficiat. Subiectum enim causæ agentis est inanimum corpus, nec aliud eiusdem agentis est munus, quàm miscere, non vegetare, alere, aut cætera munia obire, quæ in plantarum & animalium ortu sunt necessaria. Atqui calor externus qualitates metallorum & elementorum materiæ proximæ, & seminis vtriusque argentifici aut aurifici, mouere potest, & intẽdere aut infringere & mistionem priorem interuertere, vt hinc noua mistio inducatur, simúlq. prior forma aboleatur, alia succedat & oriatur, & calor ille igneus externus est in artis potestate. Verissimũ igitur erit artem beneficio ignis miscere posse, ea, quę mistilia sũt iis obseruatis legibus, quas paulò antè cõmemoraui, cùm de mistione agerem. Hanc mistionẽ ab igne effici posse, cùm negasset Cardanus libro de subtilitate rerum à Scaligero exercitatione centesima prima distinctione duodecima iure reprehẽsus est. Ná in ălẽbuo, inquit, coaceruata & multa, & diuersa & cõtraria, ita miscet ignis in eo vase, quod recipiẽs dicitur, vt nulla vi pręterea seiũgi queát.

efficiens sunt causę & fundamenta omnium effectuum.

In artis potestate est id quod necessarium est ad impellendas causas naturales vt agant.

Ars potest mistilia miscere beneficio ignis.

Ignẽ posse miscere Scaliger probat cõtra Cardanum.

Et hic ſanè eſt à natura: nec ignis naturam temerè à natura diſcerpendam eſſe ait. Sed ne longiùs exempla artis petantur quibus eam verè miſceri demonſtrari poſſit. Nonne vitrum corpus eſt naturale materia & forma conſtans? Non enim terra, non aqua, minùs aër aut ignis eſt, ſed ex horũ miſtione vi qualitatum concretum. Atqui quod vitrum ſit, nullum alium habet opificem, quàm vitrarium, nec aliam cauſam agẽtem quàm ignem. Materiam quidem, ex qua vitrum fit, ars non poteſt producere, at ligna igni ſubiicit, à quo exuruntur & in cinerem vertuntur. Deinde cinis miſcetur arenæ puræ aut lapillis perſpicuis minutiſſimè tritis, hinc vtraque materia igne in calcem redacta, eadémque tandem igne volento fuſa vertitur in vitrum. Sic ars metalla non producit, nec argentum viuum, nec materiam ſeminis argentei aut aurei, ſed ea igni ſubiicit, qui qualitates eorundem ſubigit & alterat, miſcet & quę arti propria ſunt opera, efficit, quorum effectus eſt miſtio, aut huic oppoſita reſolutio in aliud miſtum ſimplex. Sanè ſi vegetationem, ſenſum, permutationem vnius indiuidui in indiuiduum plantæ aut animalis induci oporteret, ignis aut calor igneus hæc minimè præſtaret, ſed vis & calor efficiens inſitus materiæ & ſemini, qui non eſt ex genere caloris ignei, ſed cœleſtis & proportione elemento ſtellarum reſpondens, vt rectè ait Ariſtoteles.

Artẽ verè miſcere ab exemplo vitri demonſtratur.

In materia vegetabilium aut animaliũ vires inſitas eſſe.

At quæ-

At quæstio non est de vegetatione aut sensu, sed de mistione inanimorum corporum, quę non insita vi, sed pulsu agitantur externo. Quod si obiiciatur in materia ipsorum corporum simpliciter vires etiam suas inesse quibus ad formam vnicuique propriam promouentur: sit ita, non idcircò tamen minùs forma argenti aut auri in materiam illis proximam inducetur. Si enim vi mistionis eadem materia proxima eosdem affectus corporeos induat, quos argentum & aurum, eam mistionem calore externo agente efficere nouerimus, argẽti quoq; aut auri formam eidem materiæ proximæ inducemus. Ex accidentibus enim argento & auro propriis & sensibus cognitis formas eorundem intelligimus, cùm ignotæ sint nobis differentiæ illorum specificę Hæc enim accidentia propria, vt & in cæteris corporibus naturalibus, formam vnicuique propriam sequuntur. ¶Hæc autem Erasto responsurus luculentiùs tractabo. ¶Etsi autem hæ probabiles sint rationes, quibus Argyropœiam & Chrysopœiam defendere possem, tamen experientię maior fides adhiberi solet, præsertim in effectibus eiusdem Argyropœię & Chrysopœiæ, qui sensuum iudicio, quales sint, verè iudicantur. ¶Si enim quod hæc ars pollicetur, id est argentum aut aurum, verum est, fidem faciet demonstratio, vbi vtrumque proprium subierit examen. Quod in iis artibus, quæ solam ratiocinationem pro funda-

Materia inanimatorum corporũ pulsu externo agitatur, non vi insita.

mento habent, non ita demonstratur. Idcircò experimenta duo enarrabo quæ non semel, sed identidem sæpius probata in animum induxerunt, vt artem verissimam esse crediderim. Nescio an scriptis fides adhibebitur. Sed parum sollicitum me reddit: crediderit Erastus necne, aut quiuis alius huius artis ignarus. Affirmare tamen bona fide possum, vidisse me argentum vium à stanno arte reductum verè fluidum vt vulgare, in purum argentum transmutatum fuisse. Ex quinque libris stanni vna aut circiter argenti viui prolicitur. Purgatur exemplum lauacro ex sale & aceto, dum sit splendidum, quatuor vnciis huiusce argenti viui admiscetur vna gummi cuiusdam argentei fusibilis & fixi. Fit autem fusibile & fixum mistione vnius vnciæ puri argenti cum quatuor vnciis arceni priùs sublimati, purgati & per reiterationem sublimationis fixi cum eodem argento. Hinc soluitur vapore aqueo calente, dum conspiciatur vt oleum spissum. Huius igitur olei portio vnà cum quatuor argenti viui è stanno arte educti mista vasculo vitreo includitur, & vi caloris primùm imbecilli, deinde aucti vsque ad decimum diem concoquitur, dum in puluerem cinereum fixum substiterit, qui cum plumbo liquatus & examini cineritij probatus, vertitur in verissimum argentum. Cuius effectus causa in superioribus tradita est.

Cõfirmatio ab experimentis.

Mercurius ex stãno prolicitus in argentum mutatur. Primum experimentum.

Alterum experimentum est argenti in aurum

rum mutatio hac methodo. Distilletur aqua acerrima & tingẽs, quam plerique norunt distillata rursus distillãda est & sæpiùs, dum nullæ fæces post distillationem in imo vasis resederint. Magni enim refert omnia ab impura fæce & crassitie esse purgata: purgandum etiam est argentum viuum vulgare pluribus repetitis sublimationibus, dum perspicuum fuerit, hinc reuiuiscat. Soluantur seorsim à distillata aqua acerrima vnciæ duæ argenti purissimi. Eadem aqua soluantur seorsim quatuor vnciæ argenti viui purissimi, misceantur soluta: distilletur aqua primùm imbecillo igne, dum tota stillauerit. Hinc augeatur gradus caloris, vt etiam argentum viuum distillatione expiret, frangatur vas vitreum. In imo vasis massam argenteam cõspicies partim cinereo, partim rubro subobscuro colore tinctam: Tãdẽ reduc in corpus. Hoc argẽtum etsi nõdum mutauerit colorem, neque sit aurum, puriùs tamen est & solidiùs quàm naturale argentum, ipsiúsque humidum magis definitum. Idcircò in examine auri scilicet cementi ægerrimè nec nisi repetitis sæpiùs diuellitur. Quin etiam solutum cum fuerit ab aqua acri separationis, ramenta quædam auri puri subsidere conspicies. Hoc signo totam argenti massam in aurum mutari posse iudicabis, cùm sit eadem totius, quæ & partis ratio. Hoc opus maturationis fructuum speciem quandam gerit. Cùm primùm enim

Secũdum experimentum.

Exēplum probabile.

vuæ maturescunt, grana quidem nigro colore persusa conspicies, cætera autem siue vlla coloris mutatione, quæ tamen præcedente & continuato calore maturatione peracta, nigra sunt omnia. Sic si idem argentum sæpius soluatur ab eadem aqua acri, eique admisceatur argentum viuum solutum, & distilletur aqua, & expirauerit argentum viuum & massa subsidens in corpus reducatur, tota in aurum mutabitur. Varios etiam subinde colores coctiones reiterando contrahet, dum tandem rubeus, splendidus, fixus & impermutabilis color apparebit, qui perfectæ concoctionis signum est. Sed magna in reductione in corpus adhibenda erit diligentia ne nimium decidat pondere, alioqui totum ferè argentum in spiritus aquarum acrium in reiteratione operis in vaporem euanescet, nec aliud periculum in hoc experimento pertimescendum. Intertrimentum hoc euitare poterunt ingeniosi, neque ratio suadet omnia in vulgus profundere. Hæc agendi methodus etsi à superiori diuersus sit, tamen in vtraque eadem causa, idémque est effectus. Hoc enim tantùm agitur, & sæpe dictum sæpius etiam repetendum est, vt omnis aliena ab argenti viui natura impura substantia à metallo secernatur, soláque argenti viui substantia pura supersit, quæ concoquenda & definienda est, dum calorem citrinũ contraxerit, signum perfectæ concoctionis. Atqui hoc experimento & ar-

Calores diuersi cōcoctionis signum.

Argētum euanescit cum aqua forti nisi ab artifice perito retineatur.

Causæ mutationis Lunæ in Solem.

& argenti methodo hæc omnia præſtantur. Certum enim eſt ſolutione cuiuſcunque corporis miſti in fluidam conſiſtentiam ab aqua heterogeneam & impuram omnem ſubſtantiam excerni. Hoc exemplo ſalis communis atri & impuri demonſtratur, qui ſolutus in aquam ab aqua impuritatem omnem in vaſis imo derelinquit. Qui autem in aqua clariſſima effuſus & ſolutus eſt, ſi agente calore incraſſetur, niueus cōſpicietur. Secretioni autem huic adiumento erit argenti viui ſubſtantia pura, ipſum enim quod ſuæ naturę eſt, retinet, alienum reſpuit. Et in reductione poſt coagulationem, quod heterogeneum & impurum eſt, abit in fęcem. Quod verò purum eſt, liquatur & in canaliculam ferream proiectum in metallum frigore concreſcit. Vis autem ignea aquæ acris definit & conquoquit humidum: terreum autem argenti, quod actu eſt album potentia rubrum, per operis reiteratione̅ rubeſcit, ſuúmque humidum tingit in citrinum, & hic color eſt indelebilis, eſt enim radicitus infixus. Sic argentum ab iiſdem cauſis quibus & in ſuperioribus agendi methodis, in aurum tranſit. Cùm enim ſenſim illi accidentia auro propria accedunt per præparatione̅, tandem auri formam contrahit. Omne enim corpus ſub certa quantitate ſtans apprehendit ad ſe formam in momento. Arge̅tum autem, quod propiùs ad auri naturam & miſtionem accedit, quàm reliqua metalla, facilius hac

Sal purgatur ſolutione.

methodo formam auri ad se trahit: cætera ægerrimè sed excernendum prius est ab illis argentum viuum fluidum, quod cum calce auri concoctum in aurum mutari poterit. Hanc argenti in aurum mutationem hoc experimẽto nostro didicimus, à similitudine ferri in ęs. Soluatur vitriolum in aquam ab aqua, in hanc aquam ferri ramenta proiiciantur, ferueat aqua vsque ad consumtionem tertiæ partis illius, sub diuo relinquatur, subsidebit in imo vasis ferrum & vitriolum. Effundatur aqua clara, immittatur alia. Hoc repetatur sæpius, dum tota vitrioli substantia soluta in aqua, nec non impuritas ferri effusa sit, conspicies in fundo puluerem rubrum, qui in folium liquatus & in canaliculam proiectus, in æs purissimum concrescet. Si quis omnia hæc accuratiùs perpenderet experiendo & manum operi admouẽdo, lucrum inde non minimum captaret, & vberiùs quidem, quàm aliqua arte cõsequeretur, si modò opus rectè perageret.

Mutatio ferri in ęs.

Effectus superiùs dictorum.

¶Verùm hæc eò à nobis scripta non sunt, discendi vt artem doceremus, sed vt veram esse eam demonstraremus. Hic enim finis est & scopus nostræ Apologiæ. Scio tamen plures tanto comparandarum opum æstu flagrare, vt nullam aliam ob causam Argyropœiæ & Chrysopœiæ incumbendum esse putarent: perpaucos video, qui spreta opum immensitate, quam hæc ars suppeditare potest, paucis & necessariis contenti admiranda Dei opera

Finis Apologiæ huius.

non

non solùm in plantarum & animalium ortu, sed & in mutorum & inanimorum horum corporum dissolutione & mistione contemplari desiderent, quæ hac arte inuestigando oculis conspiciuntur & manibus palpantur. Illis famelicis & auri sitientibus vt satisfiat, horum autem piis desideriis vt prouideatur, & in vniuersum omnibus huiusce artis percupidis & amatoribus, si me, quibus operibus incumbendum sit cōsuluerint, dicam ingenuè & bona fide, & quod mihi, idem quoque illis consultum esse velim. Magna equidem sunt, quæ ex præscripta priori methodo aggredienda verè & apertè demonstraui, quæque si ad exitum perducantur, magno cum fœnore prouentura sint. Verùm omnia hæc laboriosa, tędiosa admodum & difficilia, siue argentū viuum à corporibus metallicis arte summa eruendum sit, siue vulgare præparandum, vt necesse est, seu argento & auro vis quædā ignea accersenda sit, quæ in argentum viuum agendi facultatem habeant, & illud coquendi: seu argētum viuum cum auro tam arctissimè per exiguas portiunculas miscendum & vniendum sit, vt in vaporem vtrumque simul sursum feratur igne agente & in vas recipiens in argenti viui formam delapsum coire oporteat, seu argentum summa præparatione præcedente sine semine in aurum mutandum sit. Præterea in hac priori methodo pluribus opus est vasis, fornacibus, aquis, oleis & quam

Consilium authoris.

Incommodita-

ces prioris methodi.

plurimis aliis rebus. Sed & hæc non ſine magnis ſumtibus fieri poterunt, priúſquam quod quæſitum eſt, verum eſſe experientia comperiatur: multa enim in tractandis vaſis pericula ſolent incidere. Inſuper & hæc omnia aſſiduam operam ſine intermiſſione deſiderant. Etſi illis incumbendum ſit, propriæ profeſſionis partes & functiones deſerendæ ſint neceſſe eſt. Atque hinc quod maius malum video, bonorum virorum exiſtimationi plerumque detrahitur. Tandem ex tam multis & aſſiduis laboribus, opera & oleum, vt dici ſolet, teritur plerunque niſi ab artifice ingenioſo & maximè experto adminiſtrentur qui etiam in cauſarum naturalium cognitione verſatus ſit, vt errorem, ſi primùm voti compos non extiterit, emendare poſſit. Neque tamen hæc damnanda aut contemnenda ſunt, quippe quæ ad altera concipienda & capeſcenda aditum facillimum præbitura ſint. Sed de iis ita ſentiendum eſſe puto, vt nihili æſtimanda ſint, ſi chryſogoniæ ſeu ſemini noſtro aurifico comparentur. In huius inueſtigatione cæteris omnibus exploſis Argyropœiæ ſtudioſos omnem operam collocare oportet. Cognitis enim paucis, quæ tantopere & iure quidem occuluerunt veteres, cætera nullius vel minimi laboris æſtimanda ſunt. Sunt autem quæ celauerunt, tria hæc, Materia, cauſa efficiens & locus, quibus nomen proprium non impoſuerunt, ſed inueſtigantes ad naturæ

In ſolius ſeminis aurifici inueſtigatione incumbendum.

Tria à veteribus celata.

opera

opera relegauerunt, & rectè quidem. Materia ex qua triticum generatur, est triticum & humor ex terra & aqua mistus: Causa efficiens partim est insita grano tritici, partim est externa, nempe calor solis in aëre circumambiente. Locus est terra: sic in Chrysopœia materia ex qua semen aurificum generatur, est aurum, & suum argentum viuum: hanc materiam barbaro nomine appellarunt, REBIS, quod ex bina re primum componitur quæ tandem coctione diuturna futura sit vna specie & numero. Causa efficiens est partim vis insita in auro, partim calor externus, qui calorem solis æmulatur. Locus est fornax, quam Athanorem appellant, cum suo tripode arcanorum & ouo vitreo, quo includitur materia. Humor è terra & aqua mistus calore solis & aëris circumambientis agente dissoluit granum tritici, quod corrumpi vulgò existimatur, vt superius diximus. Dissolutionem aut corruptionem sequitur germen, quod est materia semini futuro proxima: hinc crescit, multiplicatur & sensim concoquitur, dum ad maturitatem peruenerit: toto hoc temporis curriculo varios subinde mutat colores. sic argentum viuum nostrum dissoluit aurum & dissolutione peracta generatur germen, quod est materia semini argentifico & aurifico futuro proxima, quæ paulatim concoctione viribus augetur, dum tandem in massam rubram & durã vt vitrũ concreuerit.

Ortus seminis aurifici naturalis est non secus ac plantarum & animaliũ.

REBIS.

Similitudines in ortu tritici & seminis aurifici.

Vnde nomen lapidis.

Et hinc puto nomen lapidis illi inditum fuisse. Lapis hic vase effracto minutissimè teritur & inclusus vase vitreo luto obstructo igne excellenti triduo concoquendum est, dum in puluerem rubrum seu purpureum fixum & igneum abierit, & perfectionem summam consecutus fuerit. In cuius superficie natabit terra impura, quam damnatam & vituperatam appellant, quæ abiicienda est. Hoc postremum opus trium dierum appellare solent.

Terra dãnata & vituperata.

Opus triũ dierum.

Nec pauciores toto motus tempore colores materia seminis nostri contrahit, quàm planta. Quorum tamen tres præcipuos artis periti notarunt: nigrum, album & rubeum. Contracta tamen albedine appellatur semen argentificum seu Argyrogonia vim & facultatem habens mutandi argentum viuum cuiuscunque generis in argentum purum: sed maluerunt vlterius progredi, & sola concoctione continuata aucto calore aurificum semen producere. Quemadmodum autem iactis in agros seminibus cætera Naturæ committit agricola, dum messis tempus aduentarit: Sic Argyropœiæ cultor, vbi primùm vasi materiam incluserit: & conuenientem calorem exhibuerit & continuò fouerit, nihil illi laboris impendendum erit, sed calori committenda cætera, dum semen primùm albedinem contraxerit: atque hinc vim & facultatẽ argentificam, tum demum verò continuata concoctione in puluerem rubrum aurificum pro-

Tres colores in semine aurifico dum mouetur.

prodierit. Huic operi conficiendo pluribus fornacibus vasis,aquis,oleis minimè opus est, sufficit vnica fornax apta aurum & suum argentum viuum. Sufficit vnica ad summum auri vnica, nec in posterum alia adiicienda est. Nulla etiam possunt incidere pericula. Semel enim incluso semine & calore circumposito, nec tangitur, nec loco mouetur, dum ad maturitatem peruenerit. Neque assiduam opus est collocare operam, sed solus ignis fouẽdus, minus deserendæ sunt propriæ professionis functiones sed magna & admiranda moliẽdo, nihil agi vulgò putabitur. Sic apud omnes retinebitur plausibilis existimatio, neque quicquam illi detrahetur. Porrò si lucrum magis expetendum sit, quam admiranda Dei potestas in operibus naturalibus, quæ ab eius omnipotentia fluxere, nullus huic pulueri aurifico comparandus erit thesaurus, quippe cuius drachma, etiamsi semel tantùm ortum subierit, argenti viui 200. vel plures ex quantitate virium statim igne externo iuuante, constringet, & in aurum purissimum mutabit. Huiusce tam admirabilis effectus causa est vis ignea auro, postquàm à suo proprio humido seu argento viuo fuerit solutum, longa & temperata concoctione quæsita. Quæ vis cùm primùm in auro sopita esset & potentia tantùm, eadem solutione & concoctione in actum erumpit: non secus ac vis in ouo delitescens calore gallinæ excitatur, vt tandem

Pauca sufficiunt ad artẽ hanc.

Admiranda Dei potestas in hac arte.

Diuitiæ.

Vnde effectus hic tam admirabilis.

inde pullus oriatur, qui longè nobiliori & præstantiori forma constat quàm ouum. Sic & semen aurificum longè nobilius suo auro, à quo originem traxit. Vis hęc aurifica per qualitates igneas semini longa concoctione quęsitas redundantem argenti viui vulgaris, aut eius, quod metallis inest, humiditatem coercet & temperat, atque ex hoc temperamento imperfecta argenti viui mistio perficitur, statímque aurea forma illi impertitur. Sed quod magis admiratione dignum est, vires illius in infinitum ex reiteratione operis adaugentur. Si enim semen illud aurificum semel ex auro productum rursus suo humido proprio certa proportione misceatur, soluatur, temperato calore concoquatur, tandem etiam in puluerem rubrum, & breuiori quidem tempore prodibit, multiplicatis viribus prioribus, & quò pluries opus reiterabitur, tantò celeriùs absoluetur, & efficacioribus viribus opus augebitur. Nam ceu tritici grana iterum atque iterum sata numerum & quantitatem in infinitum augent: sic semen aurificum iterum atque iterum solutum & concoctum vires proprias in infinitum augebit. Et vt in seminibus plantarum & animalium proprium hoc munus est, sobolem suam per generationem propagare, sic semini aurifico hoc proprium est, vt primum sæpiùs solutum à suo argento viuo & concoctum, viribus increscat, quibus per mistionem cum argento viuo

Augmentatio virium in infinitum.

viuo vulgari vel metallorum, ſpeciem ſuam auream pr[illegible]paget. Huiuſce incrementi meminit Augurellius ſub finem ſuæ Chryſopœiæ his Verſibus.

Extremo hic igitur prudens ne cede labori,
Nam breuis atque artis minima eſt, ſed diuitis vſus.
Ergò vel imprimis fuluo contunde metallo
Confecti paulùm medicaminis, ídque beati
Pulueris ac tutum præ ſe vim ferre videbis.
Vel grauidum puro ſemen cum rurſus ab auro
Haud facili, & multa extruſũ collegeris arte.
Qui modus ex illis, quæ pridẽ exegimus extat
Expreſſus ſatis, & fari non omnia par eſt,
Hinc tu purpurei partem mox pulueris aquæ̃
Immiſce, atque illis lentum ſuccende calorem,
Et geminos illos etiam ſimul excoque menſes,
Quo ſeriem ſpacio cunctam prodire colorum
Peruideas, qualem ternos miratus in annos
Videris, atq. breui ſumas, quæ maxima longo
Tempore iam tota quæſiſti ſedulus arte.
Idque iterũ atq. iterũ facias, quotiéſq. peractũ
Id fuerit toties vires illius & ipſum
Puluerem exauctes cumulũ, namq. ocyus ipſe
Creſcit, & hinc aliam ſumit retinétque priorẽ
Virtutẽ creſcẽtem etiam, nec credere vanũ eſt,
Illam adeò interdum priſcis autoribus auctã.
Ipſius vt tenui proiecta parte per vndas
Aequoris, argẽtum tum viuum ſi foret æquor,
Omne vel immẽſum verti mare poſſet in aurũ
Neptunũſque ſuper diuos ditiſſimus omnes

Tum fieri, & strato lusum Nereides auro
Ire super, puro siccantes sole capillos
Cærulea, quo non alius color aptiùs auro
Hæret, & æthereo cui plenè conuenit aurum.

Postremum hoc hyperbolicè ab Augurello ductum est, vt intelligatur ortum & propagationem huiusce seminis & auri in proxima materia, scilicet argento viuo in infinitum abire. Non secus vt in propagatione aliorum corporum naturalium euenire solet. Sanè huiusce seminis concoquendi & perficiendi ratio adeò est æmula naturæ, vt nulla opus sit arte, vbi primum aurum suo humore fuerit mistum, nisi quod calore proprio & conuenienti fouendum erit semen. Idcirco in administratione aut propagatione seminis huiusce nihil vtiliùs, quàm assiduè in contemplatione operum naturæ incumbere. Inficiari nolim recentiores huiusce artis autores compendiosam magis viam edocere, quæ si præstari possit, nec tam facilis est, nec cum tanto fœnore habet exitum. Insistamus vestigiis patrum, qui nusquam nos aberrare posse verissimè professi sunt, si naturam ducem sequamur. Neque tamen ex iis, quæ dicta sunt, tam facilem existimare artem oportet, vt quiuis eam statim assequatur. Nam aurum præparandum est, vt solutioni minimè sit contumax, & id quidem satis arduum. Neque verò existimandum est argentum viuum, quod soluendi auri obtinet facultatem, esse illud vulga-

Veterum via facilior & securior quàm recẽtiorum Ars difficilis est.

vulgare, quod palam à Pharmacopolis aut mercatoribus venit. Cùm enim à corpore, quòd similitudine totius substantiæ aurum referat,& temperamento sit calido & humido, solutionem eiusdem auri præstari oporteat, illam quidem similitudinem argentum viuum obtinere negari non potest, temperamento autem esse frigidissimo certum est & maximè indefinito. Sed aliunde nobis argentum viuum arte ingeniosa proliciendum & educendum est à corpore paucissimis noto, quod natura concoxit,quod etiam similitudine totius substantiæ aurum magis referat, quàm argentum viuum vulgare,quódque nulla arte,sed primo quoque contractu & attritu cum auro non minùs coeat & misceatur,quàm aqua aquæ: Iam contemplare altius, quod nam sit illud corpus.Præterea fornacem,quæ continuum & æqualem calorem submistrare possit,pauci norunt. Sed pauciores tripodem arcanorum,& paucissimi pabulum caloris,cui æquabilitatem præstare possit. Totum ferè arcanum in gradu caloris consistit. Nam veluti vim pulli effectricem & ouo insitam, à calore externo superari non oportet, alioqui indurescceret ouum, nec pullum vsquam imposterum ederet: sic vis seminis futuri, id est, auri misti cum suo argento viuo exinanienda non est, alioqui non dissolueretur aurum,nec germinabit, nec fiet materia auro proxima, sed in aurum calore nimio agente

Argent. viuum. Philosophorum non commune est.

Fornax Philosophica.

Arcanorũ tripos.

Arcanũ in gradu caloris consistit.

Puluis in Dei potestate situs est.

concresceret, rursus si defecerit calor, laborem artificis frustrabitur. Tandem verò puluis hic aurificus in Dei potestate situs est, quē, cui vult, largitur & subtrahit, & frustra ab iis quæritur, cui denegatus est. Hinc Palingenius in suo Zodiaco ait, cum puluerem hunc aurificum viris piis quærentibus respondisset Apollo sub ænigmate & oraculo quodā obscuro, & hinc ad cōuexa cœli euocasset, sic subdit.

Palingenius.

Tunc mentis diuinæ homines oraculo cæca
Voluentes animo ancipiti, vix tempore longo
Experti multa & non paruis sumptibus, illam
Inuenere artem, qua non ars dignior vlla est,
Fingendi lapidem æthereū, quē scire prophanis
Haud unquam licet, & frustra plebs improba quæris.
Quem qui habet, ille potest vbi vult habitare decenter,
Nec fortunæ iram metuit, nec bracchia furum.
Sed tanto paucos dignantur munere diui.

Videbor forsitan plura dixisse, quàm quæ ad quæstionis propositæ. An sit ars: necessaria fuissent. Verùm adeò connexæ sunt quæstiones. vt an esset ars, confirmari non potuerit, quin simul demonstretur, quomodo esset: Tùm verò quod his, quæ dicta sunt, velut armis ex penu naturæ depromtis, argumentorum Erastici aciem oppugnare propero.

Vltima Apologiæ pars.

Nunc igitur Eraste ad te me conuerto, nunc mihi tecum comminus congrediendum

dum est, & rationibus phisicis opinio tua in re, cuius ignarus es, funditùs euertere. Sed quoniam in omnibus ordo necessarius est, imò instructa vtrinque acie, qui dimicaturi sunt, plerunque ex ordine opportunè constituto victoriam referre solent: sic quem prosternendis argumentis tuis ordinem seruaturus sim, dicam. In primis conuiciis, iniuriis & maledictis, quibus Argyropœiæ & Chrysopœiæ studiosos insectaris passim, cum nihil aliud præstare possis, nullum à me responsum accepturus es. Nihil enim hæc ad veritatis cognitionem pertinent, hæc modestum & grauem virum minimè decent, quem opinioni suæ contradicentes, demonstrationum vi & robore conuincere oportet, non vetularum petulantium more acclamare, & furentium hominum ritu excandescere. Sanè in multis, quæ tu proponis, in tuam me iturum sententiam audies, quod fundamentis demonstrationum naturalium innitantur. Sed vt omnia magis aperta fiant, opportunum esse putaui, si, quem ante in confirmatione Apologiæ continuata orationis serie stylum seruaui, in refellendis, quæ aduersus eandem afferuntur ab Erasto argumentis, posthac mutauero. Nihil enim ad discernenda, quæ proponuntur aut enunciantur, vera an falsa sint, commodius & expeditius esse puto, quàm omnia ad Syllogismi formam reducere. In his enim, quæ orationis copia dicuntur, plerunque

Confutatio argumẽtorum Erasti.

Ordo in refellẽdis argumentis Erasti.

Reductio argumen-

torum ad syllogismi formā.

imprudentes decipi cōtingit, vt pro certis incerta, pro veris falsa & vana amplectantur. At in his, quæ ad formam syllogismi reducuntur, omnia nuda & aperta sunt, nullus fucus, nullus ornatus intermistus est, quibus veritatis lux, tanquam densissimis tenebris immersa & mens auditoris aut legentis perstringitur, vt intelligere non possit, sed cæcutire cogatur. Quocirca ab omnibus, quę confusè, & identidem plerũque. Eraste, aduersus Chrysopœiam attulisti, detrahetur verborum & orationis copia & ornatus, & ad nudam syllogismi figuram reducentur. Sic ad Dialecticorum normas exacta, veluti aurum, cementi, stibij, sulphuris aut aquæ acris separatoriæ examinibus expositum, explorabitur, quantum veritatis aut ponderis in iis contineatur, & quid de iis, quæ à me in contrarium aduersus ea afferuntur, statuendum sit, certò cognoscetur. Sed antequam ad profligandam Argyropœiam & Chrysopœiam accedis, de natura metallorum, vti in visceribus terræ sua sponte & natura concreuere, disputas, & Aristotelem de materia eorundem differentem tueris aduersus Georgium Agricolam & cæteros. Quæ autem Aristotelis & cæterorum essent opiniones, supra attigi. Ex his quæ verior sit, certi aliquid pronunciare non ausim :. Sed sit ita, vt vis, & concedatur opinioni Aristotelis potius fauendum. Nihil tamen ad quæstionem propositam pertinet, an sit Argyropœia aut Chrysopœia

De natura metallorum in visceribus terræ.

ſopœia ars vera, quæ materiam ex qua proximè in mineris metalla oriuntur, non inquirit. Sed illi aliam materiam argento & auro proximam naturæ liberalitas obtulit, cuius miſtionem imperfectam perficere poſſit cauſa efficiens, vt ex ſuperioribus, quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt. Proſequeris de natura metallorum diſſerens, ipſa eſſe ſpecie differentiam, & ductilia eſſe, neque argentum viuum metallum eſſe profiteris. Ego quoque in hoc tecum conſentire. Sed quam præcipuam metallo differentiam aſſignas, quod ſit ductile, hanc ego communem omnibus metallis aſſero, vt ab argento viuo & aliis corporibus diſcernatur. Sed quod eſſe ductile ſit differentia ſpecifica, nego. Specificæ enim rerum differentiæ nobis ignotæ ſunt, & loco differẽtiarum propriis vtimur. Neque quod ſint ductilia metalla à ſeipſis differunt, ſed quod perfectè magis aut minùs miſta ſint, & quod alia igni exurantur, aut in partes eſſentiales diſtrahantur, alia minimè, vt argentum & aurum. Coarguis deinde chemicos, qui vnicam tantùm metallorum ſpeciem ſolis accidentibus differentem poſuere. Tibi etiam in hoc, non illis adhęreo. Vnũquodque enim metallum ſpeciem & formam propriam obtinet, per quam ab alia differt, & ab eadem nomen habet. Iam ad argumenta tua progrediendum, eorumque diſſolutionem, vt in hac tam celebri diſputatione, quid certò ſit ſtatuendum, intelligatur.



PRIMVM ARGVMENtum Erasti aduersus Argyropœiam & Chrysopœiam.

I. Quæcunque ars ruinosis fundamentis nititur, citò collapsura est.

Atqui Argyropœiæ & Chrysopœiæ fundamenta sunt, metallorum alia esse perfecta, alia imperfecta, & hæc mutari posse in perfecta: quæ falsa sunt fundamenta.

Ergo Argiropœia & Chrysopœia citò collapsura est.

DE propositione nemo ambigit. Assumptionem autem hoc probare vis argumento. Quæcunque formam naturalem habent, & per illam constant, perfecta sunt. Vnumquodque autem metallum perfectum est & sua forma constat & ab illa nomen habet, & falsum esse, reliqua metalla esse quędam rudimenta auri. Ergò vnumquodque metallum perfectum est. perfectionem autem maiorem reliqua metalla assequi non posse, hoc etiam argumento probare contendis. Vbi primùm causa efficiens naturalis motum in materia perfecerit, cessat, nec amplius aliquid in ea meditatur. Neque vsquam naturam aliquod metallum in mineris terræ in aliud mutasse, & figmentum esse, quod de imperfecta horum metallorum mistione in mineris dixere Chemici.

mici. Cùm primùm enim à frigore in metallum densata fuerit materia, frustra coctionem expectari. Cùm igitur natura viliora metalla in nobiliora nusquam transmutarit, minùs etiam ars id præstare poterit.

Responsio ad primum Argumentum.

Respondeo ad assumptionem: Metalla non dici alia perfecta esse alia imperfecta propter formam, sed propter mistionem. Vnumquodque enim perfectum est, si formam spectemus, quòd per eam vnũquodque cõstet, sin mistionem, aliud perfectũ, aliud imperfectũ. Quod enim imperfectè mistum est, imperfectum dici potest, vt ignobiliora metalla, quę quòd minùs mista sint, igne dissoluuntur: Argentum & aurum, quod indissolubilia sint ab igne, præsertim aurum, perfecta dicuntur. Sic Aristoteles cruditatem, imperfectionem, concoctionem, perfectionem appellauit, libro Meteorologicorum quarto, & tamen quæ ad maturitatem nondum peruenerunt, formam habent substantialem, qua constant & perfecta sunt, vt vuæ immaturæ. Neque propterea velim cum quibusdam opinari, metalla reliqua esse quædam rudimenta auri, sicut in vuis immaturis dici potest. In his enim vis insita efficiens nondum motum suum perfecit: in illis scilicet metallis, cum frigore dẽsata fuerit materia in speciem metalli, motum suum peregit natura. Non igitur falsum

Perfecta dicuntur metalla propter mistionẽ non propter formam.

est fundamentum in Argyropœia & Chrys-
pœia, metallum aliud dici perfectum, alid
imperfectum, si mistionem eorum inuice
comparemus, & aliam imperfectam, & alia
perfectam, & aliam perfectiorem esse. Ha
perfectio & imperfectio in vegetabilibus
animalibus, quæ formam habent substanti
lem, dici non potest. Non enim constant p
solam mistionem, vt in anima hæc & mu
corpora, quæ sola mistionis lege diuersa di
ferunt inuicem, sed aliquid præstantiùs h
bent, quod ea mouet, vt formam suam cons
quantur, vt etiam in superioribus dixi. Quo
posteriori loco dicis, iam perfectum à sua fo
ma à natura amplius perfici non posse, n
eandem naturam ignobiliora metalla in no
biliora perficere in visceribus terræ, conced
mus: Nec illis adstimulamur, qui impedita
fuisse naturam dicunt, quod omnia in auru
non transmutarit. At non propterea tibi co
cedimus consecutionem argumenti tui, scil
cet arte adiutrice eandem naturam extra m
neras terræ, & ignobilioribus metallis no
biliora metalla producere non posse. Qua
dam enim in solius naturæ potestate sunt,
metalla ex suis principiis concreta, quæ su
sponte à sola natura ortum habent, nullius a
tis aut alterius indiga. In his omninò imita
naturam non possumus, cùm quæ eorum
materia proxima & causa efficiēs, ignoremu
Quædam verò natura sola sine adiutrice ar
prod

Perfectio & imperfectio in vegetabilibus & animalibus non dici potest, vt in solis metallis.

Natura sola quædā non possunt efficere.

producere nequit, vt triticum. Nisi enim terra excolatur priùs, deinde triticum feratur nō propagabitur. Quædam verò etiam magis sunt in artis potestate, & quæ sola natura nusquam efficit, nec effectura est sola, vt quæ arte miscentur aut dissoluuntur. Nam etsi omne corpus ex sinu naturæ prodierit, ex illo tamen nusquam natura sola produxit aut producet vitrum. At ars subiicit omne corpus naturale igni, qui ipsum exurit & vertit in cinerem, & hinc ex omni cinere vitrum producitur. Sic natura aquam vitæ ex vino nusquam distillauit, ars prolicit eandem. Eadem diuersorum generum & specierum aquas verè permiscet, quæ nusquam natura miscuit. Nihil igitur mirum, si natura postquam in visceribus terræ ignobiliora metalla produxerit, ex iisdem argentum & aurum producere sola non potuit aut possit. Quippe ipsa sine arte ignobiliora metalla in materiam argento & auro proximam dissoluere non potest, nec etiam meditata est, nec eandem arti proximam dissoluere non potest, nec etiam meditata est, nec eandem arti proximam materiam in mineris suis concoquere. Aliam enim materiam, aliam causam efficientem habet natura. Et ars dissolutionem hanc ex ignobilioribus metallis in proximam materiam, & eandem necnon argentum viuum concoquere, & mistionem imperfectam perficere nouit. Ipsa tamen est tantùm naturæ, adiutrix.

Quippe quod omne corpus ſit naturale ſiue agens,vt ignis,quo ars vtitur, ſiue patiens, vt metalla. Hæc opera in vegetabilibus & animalibus ars efficere non poteſt quod motus in illis non ſit in artis poteſtate, ſed vis inſita materiæ. At his quæ propter ſimplicem miſtionem aut diſſolutionem conſtant, cauſæ quæ eas præſtant,ſunt in artis poteſtate, vt ignis,& ea quæ ſunt ignea,& miſtionem hanc inchoare & ſemicoquere vel concoctionem perficere poteſt,vt in lateribus ſemicoctis aut perfectè coctis. Prolixor in huiuſce argumenti ſolutione fui, tùm quod ab eo, tanquam à machina inſuperabili, totam Chryſopœiam collapſuram putaueris Eraſte,tùm quod multis aliis diſſoluendis inſeruiet. Sed & aliud ſequitur argumentum, quod non minus, quam hoc totam artem confodere queat.

Cauſæ naturales in miſtione ſunt in artis poteſtate.

Secundum Argumentum.

Perfectorum ſpeciei nulla eſt commutatio in aliam ſpeciem ſub proximo & vno genere comprehenſam,vt Aſinus in canem tranſmutari non poteſt, quia ſub eodem genere,ſcilicet animalis comprehenduntur.

Atqui plumbum,ſtannum, æs & ferrum, argentum & aurum perfecta ſunt ſpecie, & ſub eodem genere, ſcilicet metalli comprehenſa. Ergo,

Illa in hæc tranſmutari non poſſunt.

Reſponſio.

Hoc ſecundum argumentum ſæpiùs repe-

ris

ris Eraste. Sed propositionem tuam priorem non indistinctè nec semper esse veram, demonstrabo. In stirpibus enim & animalibus diuersæ speciei sub eodem genere proximè comprehensis concedendam esse putabo, quod per ortus & interitus, siue generationis & corruptionis motum producantur, & in corruptis aut genitis nullum prius accidens sensile supersit. At in mistis simpliciter nego propositionem tuam habere locum. Mutatio enim ferri in æs purissimum, quam supra docui, contrarium demonstrat: Et plus fidendum Demonstrationi, quàm opinioni tuæ. Atqui ferrum & æs sunt sub eodem genere metalli, nec fit resolutio accidentium sensilium omninò in illa mutatione, sed vtrunque sub metalli forma permanet. Adieci etiam experimentum à me probatum de argēto in aurum mutato, sine interitu metallicæ formæ, id quidem difficiliùs. Idcirco in ferro mutando in æs quisque nullis aut paucis sumptibus & facillimè experiri poterit vt propositionem tuam non semper esse veram iudicet. Quid si dixero cum Scaligero ouum cum in pullum mutatur, non corrumpi sed perfici, nec in alterius speciei genus transire, sed formam in eo esse actu? Sed esto, concedatur tibi tua propositio. Sed & assumtio, an propterea conclusionem tuam tibi concedendam putabis? Nonne si Asinus à cane depastus, in semē caninum post longas mutationes transinutaretur, crederes

Mutatio ferri in æs sine interitu speciei metallicæ.

Argenti in aurum mutatio.

Ouū perfici non corrumpi.

Asinus mutatur in canem.

ſemen in canem tranſmutari poſſe? Hoc t negaturum non puto. Quid ſi etiam dixerim ſtannum, plumbum, æs & ferrum in argen tum viuum mutari poſſe, & materiam eſſe ar gento & auro proximam apud artem proba uero, nonne illud in hoc mutari poſſe conce des? Neque enim diſpar eſt ratio. At dices for ſitan metalla illa in argentum viuum diſſolu non poſſe. A te quidem qui huiuſce diſſolutio nis ignarus es, fieri poſſe non puto. Negabis etiam argentum viuum eſſe materiam argen- to & auro proximam. Ego autem id expertus ſum in argẽto viuo ex ſtanno prolicito, quod ſola coctione in puriſſimum aurum à cauſa ef- ficiente mutatum eſt. Et materiam eſſe proxi- mam argento & auro multis argumentis ſu- perius demonſtraui, & ex his, quæ ſequuntur, apertiùs declaraturus ſum. Hoc igitur tuum argumentum nullatenus Argyropœiam aut Chryſopœiam labefactare poterit. Non enim vt dixi, eadem eſt in omnibus ratio ortus & interitus quæ ſimplicis miſtionis & diſſolu- tionis.

Mercurius ex ſola coctione in aurũ mutatus.

Tertium Argumentum.

Quæ Natura efficit, ars efficere non poteſt.

Atqui ſola natura argentum & aurum ge- nerare poteſt Chryſopœia aurum, aut Argy- ropœia argentum non generare poteſt.

Propoſitionem probas hac ratione, ſi ars eſſet effectrix generationis vt natura, nullum inter hanc & illam eſſet diſcrimen.

Reſpon-

Responsio.

Responsum est supra primo argumento, Artem tantùm esse adiutricem & impellentem, omnia autem fieri per causas naturales, vt præcipuè agentes, & naturam aliquando ex se sola in visceribus terræ, ex sua materia metalla producere & eandem naturam ex materia, quam iam produxit, argentum & aurum generare, sed solam id præstare non posse, nisi adiutrice & impellente arte, quæ igne & igneam vim habentibus reliqua metalla in materiam argento & auro proximam dissoluens, post concoquit, & à causa efficiente perficit, si de potentia ad actum promoueatur. Adduxi etiam Exemplum, de vitro, quod est corpus naturale materia & forma constans, quod ex omni materia in cinerem versa vi ignis conflatur, quod nusquam natura sola efficere potuisset, nisi ab eiusdem causis naturalibus ars materiam præparasset. Quod igitur ais, naturam solam efficere, quæ ars efficere non possit, si de causa efficiente præcipua intelligas, facile tibi concedam: si de causa adiutrice, minimè. Præcipuè verò in his, quæ solam mistionis rationem & nomen obtinent, vt fusilibus & liquidis quæ igne miscentur.

Ars non est causa efficiens prolifica sed adiuuans.

Quartum Argumentum.

Quod imperfectum inchoatúmque est, in specie nulla reperitur.

Atqui vnumquodque metallum sua

ſpecie eſt perfectum. Ergo,

Metalla reliqua dici imperfecta aut inchoata non poſſunt, vt in argentum aut aurum mutari poſſint.

Reſponſio ad 4. Arg.

Miſtura metallorū imperfecta eſt, nō forma.

Huic argumento ex ſuperiùs dictis reſpondemus, perfectionis nomen eſſe æquiuocum. Si enim forma & ſpecies vniuſcuiuſque metalli ſpectetur, vnumquodque eſt perfectum. Si miſtura ſola auri eſt perfecta, at reliquorum imperfecta. Sed in naturalibus corporibus, ea, quorum humidum eſt indefinitum & definiri poteſt, imperfectum dicitur. Concoctio enim, inquit Ariſtoteles, eſt quædam perfectio, & fructus immaturi priuſquam matureſcant, imperfecti habentur, quoad maturitatē, quæ eſt perfectionis ſpecies. Quod autem vua immatura ſub ſpecie naturali reponatur, propoſitionem tuam, Eraſte, euertit. Vuam quidem acerbam & immaturam vuæ maturæ proximam & finitimam eſſe nemo dubitat. Sed argentum viuum vulgare paulò ab humiditate & frigiditate vindicatum, aut quod à metallis arte eductum eſt, magis in naturali rerum ſpecie perſiſtit, magíſque eſt materia argento & auro proxima, quàm vua acerba vuæ maturæ: quippe quòd hæc, ſi deſit cauſa efficiens, ſtatim putreſcat, ſi autem eadē præſens ſit cauſa, matureſcere niſi longo temporis interuallo non poſſunt. At argentum viuum, nuſquam corrūpitur, etiamſi cauſa præteri-

Mercuri⁹ non corrumpitur.

teri-

teriti, quę illi ortum dedit, fuerit absens. Hinc ipsum Plinius liquorem æternum appellauit. Vi autem efficiente semini argentifico aut aurifico insita, & calore igneo externo iuuante ex eodem argento viuo statim argentum aut aurum concrescit.

Liquor æternus.

Quintum Argumentum.

Natura produxit omnes species propter fines vsúsque certos & hominibus necessarios.

Atqui ferrum vsui hominum æquè necessarium est vt aurum.

Natura ferrum aut reliqua metalla non produxit, vt ex his aurum efficeret, sed vt vsui essent hominibus.

Responsio.

Argumentum hoc etsi verum sit, nihil tamen ad propositam attinet quæstionem. An Ars sit, nec concludit, si propter vsus varios, natura produxit vnum quod metallum, ex alio aliud generari non posse. Diuersæ enim sunt conclusiones, & diuersæ conclusiones, & diuersa concludendi media.

Sextum argumentum.

Qui dicunt viliora metalla eadem tantùm ratione ab argento aut auro differre, qua æger à sano homine differt, inscite dicunt. At Carbonarij ita sentiunt. E. Inscitè dicunt.

Propositionem ex eo confirmas, quod vnumquodque metallum ab alio sua propria specie differt. Assumtionis probationem retices, sed ex eo colligendam dicis, quod semen

Tres ordines medecinæ metallorum iuxta Gebrum.

argentificum aut aurificum quidam dixerunt esse medicinam metallorum, cuius Geber in summa tres statuit ordines, priorem quæ alteraret tantùm, secundam quæ palliendo tantùm perficeret: posteriorem & tertiam, quæ omne extrariam ab argenti viui natura substantiam excerneret & verè perficeret.

Responsio.

Quæ de medicinis metallorum dicta sunt, metaphoricè sunt dicta.

Priorem propositionem iam tibi concessi, & assumptionis autorem esse Gebrum in sua summa perfectionis. Sed hos tres medicinæ ordines à metaphora statuit. Nam ceu qui sanus est, colorē ægri abiecit, & omnia sani hominis munera exequitur: sic metalla viliora in argentum vel aurum mutata colorem splendidum acquisiuerunt, & examina eadem perferunt, quæ argentum & aurum. Ex eorundem enim perpessione formas diiudicari dixi: sed vnicam tantùm formam omnia metalla habere, ne somniauit quidem Geber, qui metallorum genera in sex species diuisit. Tibi autem Eraste assentior, impropriè dictum esse, viliora metalla à nobilioribus differre: vt æger homo à sano, si ex propriis accidentibus eorum formæ diiudicandæ sint: sin accidentia eorum communia tantùm communia inspectanda sint, non omnino inscitè ab iisdem dictam existimabo.

Septimum Argumentum.

Materia vnius formæ fieri non potest materia

teria alterius formæ, nisi priùs materia in aliam formæ proximæ futuræ materiam mutetur. At Chemici hoc non nituntur, sed communem dicunt esse omnium metallorum materiam.

Ex reliquorum metallorum materia argentum aut aurum efficere non poterunt.

Propositionem sic probas. Caro aut sanguis suillus aut quiuis alius nusquam animæ nostræ erit conueniens alimentum, priusquam in Chylum album, & deinde in nouum aliúmque sanguinem permutetur. Assumtionem ex hoc probas, quod Chemici hoc non moliuntur, vt plumbi aut cæterorum metallorum materia ita transmutetur vt fiat argento aut auro materia conueniens & proxima.

Responsio.

Propositionem priorem concedo. In superioribus enim dixi, hanc esse naturæ legem inuiolabilem, vt nusquam alterius speciei indiuiduum sit alteri speciei conueniens, nisi illud in hoc mutatum fuerit. At assumtionem tuam nego, imò nihil aliud moliuntur Argyropœiæ aut Chrysopœiæ periti, quàm vt reliquorum metallorum materia in materiam argento & auro proximam deuergat, eáque à causa efficiente moueatur & perficiatur.

Octauum Argumentum.

Si materia vnius speciei in materiam alteri speciei proximam mutari oporteat, to-

ta illa mutanda erit.

Atqui cum Chemici metallorum materiam in argentum viuum, alij in metallum aliud mutant, non tota mutatur.

Materia metallorum in alterius metalli aut argenti viui materiam mutata, non erit proxima argento, aut auro materia. Nusquam formam argenti vel auri obtinebit. Priorem propositionem confirmas argumento adducto de suilla carne aut sanguine, qui nusquam erit proxima humano corpori materia, nisi priùs in Chylum & sanguinem humanum mutatus sit. Assumptioné probas à sensuum testimonio. Metalla enim mutata in alia metalla aut in argentum viuum videntur esse eadem materia: nam metalla fusa videntur esse argentum viuum, hoc autem sine igne est liquidum.

Responsio.

Falleris multum, Eraste, in similitudine carnis & sanguinis suilli mutandi in sanguinem humanum, & metallorum mutandorum in argentum viuum. Illius enim sanguinis mutatio est per corruptionem seu interitum eiusdem, & ortum Chyli & sanguinis humani, in qua mutatione omnia accidentia pereunt, & fit, vt dicunt, resolutio vsque ad primam materiam, priusquam fiat sanguis humanus, nec quidquam sensilis materiæ prioris percipitur, non secus ac in ligno mutato in cinerem, qui est proxima vitro materia. At muta-

Mutatio metallorum non fit per corruptioné, sed per dissolutionem simplicé.

mutatio metallorum non eſt per corruptionem, ſed ſimplicem diſſolutionem & ſecretionem eius materiæ,quæ ab argenti viui natura eſt aliena. Argentum autem viuum quod conſpicitur poſt diſſolutionem, non eſt per ortum aut generationem, ſed per ſimplicem miſtionem ſub alia noua proportione miſti corporis. In hac mutatione non fit reſolutio materiæ metallorum vſque ad primam materiam,ſed conſpiciuntur ſenſilia quædam accidentia communia priori materiæ metallorum,& poſteriori materiæ argenti viui,in vtraque tamen mutatione fit interitus prioris formæ & ortus poſterioris. Argenti enim viui forma non eſt forma metallorum. Hæc in Argyropœiæ & Chryſopœiæ confirmatione luculentiùs dicta ſunt,quę hic repetere ſuperuacaneum putaui. Hæc igitur diſtinctione etſi tota metallorum materia mutata non fuerit, non deſinet propterea argentum viuum ex eadem diſſolutum eſſe materia argento & auro proxima, quod à cauſa efficiente proxima perfici poterit.

Nonum Argumentum.

Si materia metallorum eſſet materia argento & auro proxima in mineris terræ, ipſa cauſa efficiente præſente in argentum vel aurum mutaretur.

At nuſquam hoc in mineris receptum eſt, imò poſtquàm propria vnicuique metallo materia concreta fuerit & metallum factum

fuerit nuſquam permutabitur.

Metalla non ſunt argento & auro proxima materia aut rudimenta eorum.

Reſponſio.

Nimis tibi incumbendum non eſt, Eraſte, in probatione huius argumenti, quod totum tibi concedimus eſſe verum in mineris terræ. At lex iiſdem metallis extra minerarum locum argentum viuum prolici non poſſe à cauſis naturalibus arte adiutrice, & perfici in argentum aut aurum, tibi quidem, Eraſte, eſt impoſſibile, quia ignoras nec vidiſti. At his qui ſciunt & experti ſunt, poſſibile & facile. Hæc autẽ ſuperius demõſtrata ſunt, vt lõgiori reſponſione opus non ſit huic argumento.

Decimum Argumentum.

Quod natura in mineris ſuis non efficit, ars quoque extra mineras non efficit.

At ex miſtione vaporum diuerſæ ſpeciei in mineris vna & eadem ſpecies metalli non oritur, ſed diuerſæ E.

Ex miſtione metallorũ diuerſę ſpecies cum argento vel auro extra mineras vnum ſpecie metallum non orietur. E. vana eſt Argyropœia & Chryſopœia.

Reſponſio.

Priori propoſitioni idem reſpondendum eſt, quod aliis argumentis, naturam eſſe præcipuam cauſam agentem, artem verò adiutricem & materiam ſubiicientem, vt cauſa efficiens agat in eam: Et eandem cauſam natu-

ralem

ralem efficientem arte adiutrice, aliud efficere posse extra minerarum locum, quod in eodem loco sola efficere non potest: scilicet metalla resoluere in proximam argento & auro materiam, quod in mineris sola præstare non potest. Nihil igitur mirum, si ex diuersis vaporibus diuersa specie metalla in eisdem venis oriantur, nec si aliud in aliud in eisdem non mutatur. Nec minùs mirum, si ex vulgari & imperfecta mistione metallorum per fusionem suas quæque formas & species retinent: non enim iis legibus coeunt, quibus diximus perfectam effici mistionem. Posthæc à te scripta, Eraste, quæ vrgere magis videbantur, & quæ ad syllogismi regulas reduximus, iisque respondimus, multis verbis diuersas chemicorum opiniones de materia metallis proxima in mineris terræ enarras. Sed veræ an falsæ sint, parum refert, quantum ad propositæ quæstionis dissolutionem attinet, an sit ars. Non enim aurum elaboraturi indigemus materia illa proxima, quę erat in mineris, priusquam illa concrescerent, iam enim diximus, id esse impossibile, maximæ cùm totæ & tantæ sint de materia illa proxima opiniones, non solùm inter Chemicos, sed & inter alios. Sed quærimus materiam argento & auro proximam, quæ est argẽtum viuum vulgare, quod natura nobis vltrò obtulit, & illud, quod ex metallis arte eruitur. Itaque quæ contra Chemicorum opiniones

Causa naturalis efficiens aliud efficere potest arte iuuante, quod sola efficere non potest.

Materia proxima metallorum alia est in mineris, alia apud artem.

attulisti argumenta de materia illa metallis proxima in mineris terræ, silentio prætereo, ne in illis confutandis operam & oleum teram. Hæc enim Argyropœiam & Chrysopœiam non oppugnant, quę aliis nititur principiis. Sed iis tantùm argumentis respondere proposui, quibus artem hanc oppugnare contendis. Multa tamen à te doctè scripta in refutandis Chemicorum opinionibus non inficiabor, scilicet rem nullam verè & perfectè mistam aut ortam iterum in idem illud resolui, ex quo proximè mista sit vel orta. Neque enim si ex pane & vino fiat sanguis, hic in panem & vinum resolui poterit. Sic nec metallum in id, ex quo proximè mistum fuit. Nam etsi dixerimus, metalla in in argentum viuum resolui, non propterea concessimus, ex argento viuo in mineris terræ ipsa proximè concreuisse, sed ex alia materia proxima soli naturæ cognita. Fatemur enim generationes nusquam reflecti, & prorsum ire semper, dum tandem extrema dissolutione ad prima elementa, seu ad materiam primam ventum sit. Hac quoque ratione dixerimus materiam proximam metallis in mineris, non esse materiam artis, sed argentum viuum, quod ex metallis resoluitur, quod ab efficiente causa in argentum vel aurum statim vertitur.

Res verè & perfectè mista non iterum resoluitur in id, ex quo proximè est mista.

An metalla ex argento viuo in mineris concreuerint.

Materia proxima metallis in mineris non est materia artis.

Nihil etiam respondebo his, quæ contra Chemicorum opinionem de causa efficiente metalla in mineris terræ scripsisti. Hæc enim

Alia causa efficiēs metalla in mineris, alia apud artem est.

enim differt ab ea, quæ materiam nostram proximam mouet, & perficit extra locum minerarum. Hactenus Eraste, obiter allata à te sunt superiora argumenta aduersus Argyropœiam & Chrysopœiam, cùm de materia & causa efficiente, quæ & qualis vtraque esset in mineris terræ disputasti. Quæ sequuntur argumenta tua aduersus eandem artem oppugnandam directè & aperto marte tendunt: ea igitur ad syllogismi formam reducenda sunt, vt quid verum, quid falsum sit iudicari possit.

Vndecimum Argumentum.

Si lapis Philosophicus vim & facultatem habet transmutandi metalla vel argentum viuum in argentum vel aurum, certa debet esse eadem materia & certa præparationis & agendi methodus. Alioqui vana & futilia sunt, quæ de eo enunciantur.

Atqui de eo scripsere, nec de materia, nec de modo præparationis, aut agendi methodo inter se conueniunt, imò de nulla re magis sunt dissentientes E.

Vana & futilia sunt, quæcumque de eo enunciantur: hinc sequitur, vanam esse Argyropœiam & Chrysopœiam: quippe ignorata materia & causa efficiente, ex qua & à qua lapis Philosophicus conflatur, nihil agitur. Omnium enim operum sunt fundamenta materia & causa efficiens.

Materia & causa efficiens sunt fundamēta omniũ operum.

Responsio.

Validissimum est hoc argumentum quódque pressiùs vrgere videtur, præsertim cùm de materia agitur, ex qua semen argentificum aut aurificum prolicitur. Non enim omnis materia omnes obtinet facultates & vires, sed sua est cuique propria, & vnica & simplex est veritatis cognitio, & reuera variæ sunt de materia opiniones apud Chemicos. Nam & Heber in sua summa perfectionis, medicinam quæ coagulat argentum viuum vulgare, ex solis corporibus metallicis prolici posse profitetur, vel ex iisdem cum suo sulphure, vel arsenico præparatis, vel ex solo eodem argento viuo. Ex tanto opinionum diuersarum conflictu artem arguendi occasionem aliquam habuisti, Eraste, & idem pronunciandi, quod Dauus Pamphilum alloquitur apud Terentium, Quæ res in se, nec consilium nec modum habet vllum, eam si tu ratione certa postules regere, nihili plus agas, quàm si des operam, vt cum ratione insanias.

Variæ Chemicorum opiniones de materia lapidis.

Quod ad agendi modum attinet, non adeò me mouet modò de materia aut subiecto cõstiterit. Plures enim sunt viæ ad vnum eundémque effectum conspirantes.

Plures viç progignẽdi lapidis.

Vtrique tamen obiectioni responderi potest, materiam argento aut auro producendo proximam, eámque indefinitam scilicet argẽtum viuum, aut vulgare, aut quod corporibus metallicis reliquis inest, sola concoctione

egere,

egere, vt definiatur & perficiatur: huius autem causam efficientem esse calorem externum adiuuantem qualitates materiæ proximæ insitas. Quod si materiæ, quam quisque sibi elegerit, ad progignendum quem appellant lapidem, vires & facultates igneas accersere aliqua methodo nouerit, & experientia cõprobauerit, iisdem facultatibus materiam nostram proximã concoquere & perficere: nihil est quod à subiecti varietate quisquam deterreatur. Eò enim tendunt omnia, & tandem in vnum redeunt eundémque effectum pariunt. Nam siue pullus ab ouo calore gallinæ fouente edatur, siue alio calore simili, nihil refert. Quid si etiam sine aurifico semine argentum in aurum mutari posse dixero, & cuius in superioribus patefeci experimentum? Huiusce enim effectus causa est vis ignea aquarum acrium, & aliæ causæ, quas retulimus. Quod si opinionum diuersitas, & plerunque ex diametro contrarietas sit argumentum sufficiens ad damnãdam artem, quid magis contrarium, quàm Physicorum, Medicorum & Iureconsultorum in scholis pugnantes opiniones in plerisque, de quib. est disputatio? Nónne in Iureconsultorum nostrorum Pandectis alium alius opinionem condemnare sæpè solet, suam autem tueri? Nónne in forensibus iudiciis & iudicis & consiliarios in diuersas trahi sententias quotidie experimur, in iis præsertim quæstionibus, quæ in iure

Calor externus est causa efficiens externa adiuuans.

Varietas materiæ nõ obstat.

Argẽtum potest in aurum mutari sine semine aurifico.

consistunt? Sed & ex Medicis, qui in consilium adhibentur, vt morbis ægrotantium consulant, & remedium afferant, rarò videas plures, qui in vnum eandémque eant sententiam? Quippe omnia hæc probabilitatem tantùm habent, non demonstrationem. At quodnam subiectum semini argentifico aut aurifico producendo sibi quisque elegerit, aut inutile aut vtile aut vtilius fuerit, experientia demonstrabit. Nec ita metuendum erit, si aliter successerit, quàm sperabatur, vti contremescendum est in exhibitione medicamentorum, quæ plerunque hominem capiunt & conficiunt. Neque tamen propterea medecina contemnenda aut condemnanda erit: sic nec Argyropœia aut Chrysopœia, si, quę materia Argyrogoniæ aut Chrysogoniæ concipiendæ & demum parturiendę sumenda erit, quáve methodo agendi opus fuerit, obscurum sit. Expertis quidem ad easdem inuestigandas, nulla alia opus est arte, quàm experientia. Sed quoniam qui experti sunt, aut scriptis patefacere detrectant, & iure quidem aut illis fides non adhibetur, nisi coram demonstrent, quod minùs etiam ferendum est, ad naturam eiúsque opera inquirentes relegarũt. Nam etsi ipsa natura Argyrogoniam aut Chrysogoniá ex se sola non produxerit, tamen ex similitudine aliorum corporum naturalium, quæ arte ministra natura in lucem edidit, viam demõstrát, qua illæ in lucem proferri possint, & materiam

Probabilitas non demõstratio in medica sciẽtia.

Experiẽtia.

teriam

teriam protulit, & methodum agendi demonstrauit, & solam manum Artificis exposcit. Nullum verius aut vtilius, quam à natura petẽdum, capiendum, aut sperandum est consilium. Ex illius oraculo in ambiguis & ancipitibus responsa verissima referuntur. Hinc videas omnes, qui hanc artem norunt, ad eandem naturam eiusdémq; opera Argyrogoniæ aut Chrysogoniæ producendæ studiosos demittere. Illorum igitur tantùm opinioni subscribo, qui naturam imitantes aurum & suum argentum viuum pro materia aut subiecto seminis argentifici aut aurifici assumunt, soluũt & concoquunt, dum in lapidem durum coiërit, & tandem in calcem aut puluerem rubrum prodierit. Ad reliqua argumenta dissoluenda progrediendum est.

Natura materiam protulit & methodũ agendi demonstrauit.

Materia lapidis quæ.

Duodecimum Argumentum.

Opinatur Erastus, & rectè quidem, si quid in tota re insit veri videri illos propius ad veritatem accessisse, qui lapidem Philosophorum ex auro concinnare studuerunt. Ex auro autem produci non posse, hoc vtitur argumento.

Vt ex auro fiat lapis Philosophicus, aurum perfectius reddi oportet, quàm sit in natura auri propria.

Atqui perfectius reddi non potest. Ex auro procreari non poterit, Ergo minus ex alia materia, Ergo vani sunt & irriti omnes chemicorum conatus.

Prior propositio probatione non eget cùm manifesta sit sensibus, nec videamus aurum in natura sua cæteris metallis aut argento viuo mistum mistionem illorum perficere & in aurum mutare. Assumtionem autem authoritate Bracesci & Rogerij Bacchonis probas, Eraste, & ratione & experientia confirmas, quæ demonstrat auri mistionem adeo solidam & perfectam, vt igne dissolui & corrumpi non possit.

Responsio ad 12. *Argumentum.*

Bracesci &Rogerij Bacchonis opinio.

Bracescus & Rogerius Baccho nec non cæteri huiusce farinæ ænigmaticè, tropicè, & nullo ordine artem tradiderunt, nec auro nomen materiæ lapidis Philosophici dederunt, sed potius causæ efficientis & informantis materiam informem, rudem & imperfectam, & ex amborum mistione lapidi ortum dedere. Sed quoniam materia superat quantitate vt menstruum in fœtu, aurum verò viribus vt semen & causa efficiens, noluerunt aurum lapidis esse materiam. Quamuis reuera & aurum & suum argentum viuum sit eiusdem lapidis materia scientibus, & intelligentibus, & alterum sine altero sit inutile, illud enim agẽs, vt mas, hoc vt patiens, vt fœmina. Quod autem aurum perfectius igne reddi non possit, aut dissolui & in partes distrahi nequeat, concedo in natura propria & metallica solo calore igneo. Videtur enim aurum ad extremum perfectę mistionis omnium metallorum gradum

Aurum vt causa efficiens, suũ arg. viuũ vt materia.

Aurũ igne solo corrũpi non potest.

dum

dum à natura peruenisse. Verùm aquis quibusdam dissolui & in partes distrahi potest, & facilè quidem, his qui sæpe experti sunt. Distillatur enim aqua ex sale communi, quæ lento igne adhibito dissoluit solam auri tincturam. Tingitur enim aqua calore citrino, cùm prius esset alba vt aqua putei aut fontis. Et exhausta omni tinctura subsidet corpus auri album, quod in corpus igne agente reductũ conspicitur argentum. Tinctura autem auri nusquam in posterum in corpus metallicum reditura est, sed quod tenuissimæ sit essentiæ & in vaporem distillatione quibusdam adiectis feratur sursum, & destilletur in liquorem, corpus spirituale, aut spiritum corporeum appellauerunt. Hæc tinctura ab acrimonia quam ab aqua soluente accepit, vindicanda est, & deinde multis & admirandis vsibus & effectibus inseruit. Sed quoniam hæc ignoras, Eraste, nec oculis conspexisti, fidem non adhibebis, nec tibi similes. Quod autem hisce oculis vidi & manibus palpaui, quódque etiam ab Adolescente ignaro, me iubente, confectum est, maiorem facit fidem, quàm tua tuorúmque tibi similium ignoratio, nihílque ignorandi falsa & inanis tua præsumptio. Cùm autem apud Tauladanum aduersus Bracescum disputantem legisses, aurum in natura solo igne mutari non posse, sed aliis additis in partes distrahi posse. Sequenti argumento & dilemmate vteris, vt pro-

Aqua salis cõmunis dissoluit tincturam auri solã ab auro.

Vsus tincturæ auri.

Tauladanus.

bes ex auro, ſiue naturam metallicam retineat, ſiue eandem exuerit, nihil ad lapidem Philoſophicum pertinere.

Decimumtertium Argumentum.

Aurum, quod pro lapidis materia vſurpant Chemici, aut ſolutum in liquorem & ſpiritum, ſubſtantiam & vires auri mutat, aut ſub liquoris & formæ permanet aurum.

Si illud primum metallum non creabit, quod metalli genus exceſſerit, ſi poſterius, cùm non ſit, nec perfectius in natura ſua reddi poſſit, nec exuberantem obtineat perfectionem, eam cæteris metallis non communicabit, nec perficiet ea. E.

Quouis modo aurum pro materia lapidis vſurpetur aut præparetur, metalla reliqua vel argentum viuum non mutabit in aurum. Ergo fruſtra ex auro lapidem Philoſophicum Chemici conficere tentant.

Reſponſio.

Aurum alteratum poteſt Mercuriũ in Solem mutare.

Reſpondeo, ſiue aurum naturam metallicam retinuerit, modò ſit alteratum, ſiue eandem exuerit, perficere poſſe materiam noſtram eidem proximam, id eſt argentum viuum. In calcem enim reductum aurum naturam metallicam non exuit, non ſecus ac lapis in calcem reductus lapideam formam ſeruauit, quamuis de natura metallica in auro calcinato illæſa veriùs dici poſſit, quàm de lapidea natura in lapide calcinato: huic enim multum, illi nihil in calcinatione de

pondere

pondere deperit. Sed in vtroque vis ignea calcinatione accersitur. Cùm igitur calx illa auri admiſcetur certa proportione argẽto viuo à corporibus metallicis, præſertim ab argento arte prolicito, & certis ignis gradibus vtrunque miſtum concoquitur, fit pugna contrariarum qualitatum in cõmuni materia. Calcis enim aureæ qualitates calidæ ſiccæ ſunt, argenti viui metallorum, frigidæ humidæ: hinc fit temperamentum & noua miſtio & ex hac auri forma ſuccedit. Dixi autem aurum alteratum hanc vim & facultatem obtinere. Nam ſi ſine alteratione eædem in illo qualitates perſiſterent, cum ipſæ ſint formæ inſtrumenta, per quas ipſa agit, nulla actio futura eſſet, nec noua miſtio.

Calx auri alterati mutat Mercuriũ metallorum.

Dixi autem de argento viuo à metallis prolicito, quod vulgare ob nimiam frigiditatem & humiditatem nimium concoctioni eſſet cõtumax, nec ab auro ſolùm alterato coërceri poſſet, niſi vnitum idem argentum viuum vulgare & aurum ſimul diſtillarentur, vt ſuprà dictum eſt in methodo.

Mercurius vulgaris & metallicus differunt inter ſe.

Quod ſi, vt altera dilemmatis pars aſſumatur, aurum metallicam naturam exuerit, non minoribus inſtructum erit finibus, imò longè efficacioribus & præſtantioribus, quæ ſolutione à ſuo argento viuo eorúmque diuturna & & longa coctione vtriúſque quæ ſuæ ſunt, vt fit in argentifico & aurifico ſemine, quod in metallũ reduci non poteſt, ſed illius miſtione

Cùm naturã metallicam exuerit præſtantioribus viribus eſt prædictum.

cum argẽto viuo communi aut eo, quod metallis est insitum, fit vera noua mistio, & hinc emergit corpus nouæ formæ, quod nec puluis aurificus est, nec argentum viuum, aut metallum quod erat prius, sed aurum, vt sæpiùs dixi, & repetere cogor in re tam seria tantique ponderis. Sed in his, Eraste, quæ ignoras, iudicas tanquam cæcus de coloribus; & nescis quod nam sit illud argentum viuum, quod soluit aurum, neque coctionis modum, nec qua ratione puluis ille aurificus transmutationis huiusce sit causa. Inualidum est igitur argumentum & dilemma tuum.

Erastus ignorat auri solutionem.

Decimum quartum Argumentum.

Lapis philosophicus necessariò constat in materia, quæ ipso auro perfectiùs cocta sit.

Atqui aurum perfectius concoqui non potest, nec est aliquod metallum æquè illo perfectum. Ergo.

Vanus est omnis Chemicorum labor.

Responsio.

Erastus ignorat cõcoctionem.

Falsa est assumtio tua, Eraste, sed quoniam concoctio hæc post veram solutionem propria est huic arti, quam ignoras, impossibilis tibi videtur. Sed ignoratio tua veritati, quæ autoritate præstantissimorum virorum, ratione, experimento & demonstratione nititur, nihil adiicit nec detrahit.

Decimum quartum Argumentum.

Formæ ex materiæ sinu producuntur ab efficiente

ficiente causa insita eidem materiæ, non aliunde inuolant.

Atqui Chemici dicunt, formam in aliena materia fundatam esse, verè à materia perficienda separatam, & per proiectionem formam infundi materiæ informandæ. Quod falsum est. Ergo Lapis illorum Philosophicus à materia perficienda separatus formam materiæ perficiendæ non infundet.

Responsio.

Magna est controuersia inter peritiores, an formæ rerum de materiæ sinu ab efficiente causa insita non aliundè aut externè in materiam migrent. Fernellius Ambianensis ille medicus, Medicorum & Philosophorum huius seculi facile princeps, toto priore libro de abditis rerum causis, nihil aliud disputat sub persona Eudoxi aduersus Brutum. Et tandem cõcludit, ne minimum quidem formæ fuisse, antequam in eam migraret, sed perfecta & consummata præparatione statim formam in illam materiam cœlitùs immigrare multisque rationibus & ex authoritate Aristoteles confirmat, non solùm in anima hominis, quam & ex authoritate Aristotelis confirmat, non solùm in anima hominis, quam per se subsistere extra corpus, & externè in corpus hominis migrare, & post exitum à corpore suo rursus per se subsistere certissimũ est, & nemo ambigit: sed etiam in animalibus plantis & inanimis corporibus. Tu verò

An formæ ex materiæ sinu, vel externè in materiã migrentur.

Formas cœlitus in materiam immigrare.

contrà sentis in omnibus his, excepta hominis anima. Sed vtra, an Fernelij, an tua, Eraste, sententia in hac quæstione verior sit, non est disputandi locus. Concedamus tuam præualere, & priorem huiusce argumenti tui propositionem veram esse. Non idcirco assumtio eiusdem argumenti vera erit: quippe quod ex hypothesi falsa sumpta sit, cùm ais Chemicos profiteri formam auri separatam esse in aliena materia & infundi in materiam informandam. Quod si quidam ex iis ita senserint, iis adhærere non possum: sed sic se res habet.

Lapis philosophicus non est forma auri.

Lapis philosophicus quem tu ita appellas, non est forma auri, sed longè nobilior, etsi vim & facultatem aurificam non exuerit. Nec enim semper necesse est id, quod informat, formam actu habere eandem, qualem habiturum est corpus informandum. Nam quæ ex putrefactione oriuntur animalia solum calorem habent opificem. Materia etiam nostra proxima non est forma auri. Sed tam lapis philosophicus quàm materia proxima sua forma constat ex eodem tamen fonte promanarunt, & similitudine totius substantiæ sese referunt: Qualitatibus tamen pugnant contrariis, ille calidus, siccus, igneus, concoctus: hæc frigida, humida, aquea, cruda, & indefinita. In amborum mistione externo calore agente fit pugna harum contrariarum qualitatum in communi materia, & vtriusque priores formæ abolentur & noua & au-
rea

rea eaque vniqua forma ſuccedit in miſto ex ambobus corpore. Ex pugna enim harũ contrariarum qualitatum fit temperamẽtum formæ aureæ conueniens, ſi æquis viribus certauerint qualitates: alioqui ſi lapidis aut pulueris aurifici qualitates & vires nimiùm exuperantes eſſent, non fieret vera miſtio (in qua neceſſe eſt aliam qualitatem non excedere aliam, ſed totum ad temperamentum reduci) ſed fieret interitus argenti viui. Abiret enim in naturam lapidis cuius tamen vires infringerentur. Quantæ autem fuerint vires & facultates pulueris aurifici, certò ſciri non poterit, niſi experientia. Proiectus enim nimia quantitate in argentum viuum, ipſum in puluerem aurificum etiam mutabit, viribus tamen diminutum, dum tandem puluis poſtremus non in puluerem, ſed in corpus ductile mutauerit argentum viuum. Tunc enim æqualis erit vtriuſque victoria, ex qua noua auri forma progredietur. Natura autem in miſtis corporibus, quæ ſua ſponte edidit, ita ſe rem habere nos edocet. Ex miſtione enim terræ & aquæ concurrentibus aliorum elementorum viribus fit lapis, fit & metallum, ſed diuerſa proportionis lege. In hac miſtione formæ quæ actu elementis priùs inerant, poteſtate tantùm inſunt lapidi & metallo, nouáque & vnica lapidis aut metalli forma ex eorundem miſtione exſurgit. Idem & in iis acccidit, quæ diſtillantur vi ignis, ſi qualitati-

Ex qualitatibus contrariis pugnantibus in cõmuni materia verã fieri miſtionem.

Vires & facultates pulueris aurifici experientia docet.

fluxerunt, non est aliena materia, sed fuit eiusdem generis & quodammodo communis, sed quatenus formas obtinent diuersas, alia est eorum materia.

Decimum octauum Argumentum.

XVIII. Sola viuentia informare possunt materiam, in qua agunt.

Atqui lapis Philosophicus caret anima. Ergo,

Informare non poterit argentum viuum vulgare, vel quod metallis inest.

Responsio.

Lapides & metalla formã non ab anima aliqua accipiunt.

Falsa est propositio. Lapides enim & metalla ex Elementis proximè orta formam habent, qua constant, nec aliqua anima formam illis impertiit, sed sola quantitatum propriarum vi externo calore & frigore adiuuantibus, concreuere. Sed & vitrum formam habet naturalem substantialem, qua constat, nec illi ars eandem formam tribuit, sed subiecit materiam igni, quia à naturalium causarum efficientium numero abigendus aut distrahendus non est, & miscuit materiam, ex qua vitrum est formatum. Sic vires aurificæ in lapide Philosophico accitis qualitatibus eiusdem igneis, externo calore iuuante, formam auream metallis & argento viuo impertiunt, etiamsi lapis vita aut anima careat.

Vitrũ formam suam nõ ab arte accepit.

Lapis Philosophorum caret vita & anima.

Non. n. iis subscribere possum, qui metalla aut semen nostrum aurificum aut argentificum seu lapidem Philosophorum, viuere dixerunt,

xerunt, quod forſitan metaphoricè intellexerunt, ob virium & qualitatum ignearum excellentiam.

Decimum nonum Argumentum.

Omne agens naturale aſſimilat ſibi paſſum in ſubſtantia aut qualitate. Lapis igitur Philoſophicus agens in reliqua metalla aut argentum viuum, aſſimilabit ſibi illa in ſubſtantia aut qualitate. Ergo, XVX.

Lapis philoſophicus agendo in illa non ex iiſdem efficiet argentum aut aurum, qui eſt finis Argyropœiæ & Chryſopœiæ, ſed efficit lapideum, qui non eſt ex genere corporis metallici: aut qualitatem & alterationem tantùm inducet, non formam nouam.

Reſponſio.

Facile eſt ex iis, quæ dicta ſunt ſuperius, propoſitioni reſpondere: non enim per generationem aut corruptionem lapis Philoſophicus mutat metalla aut argentum viuum, ſed per ſimplicem reſolutionem & miſtionem, inter quas hoc intereſt. Quod in illis id, quod agit & vincit, transformat in ſeſe id, in quod agit, & hoc corrumpitur cum reſolutione omnium accidentium, vt ignis agens in lignum corrumpit ipſum, & quod illius imperio ſubiicitur, in ſeſe conuertit. At in his diſſolutione & miſtione, qui miſcentur non pereunt, ſed permanent, pereuntibus formis prioribus, & vnica noua forma ſuccedit. Etſi quid perit, vt in mutatione metallorum non eſt ex materia argenti viui, ſed ab igne exter-

Lapis philoſoph. nō agit per generationē aut corruptionem. Differentia generationis & corruptionis, ac diſſolutionis & miſtionis ſimplicis.

Lapis philosoph. nō corrūpit metalla sed per mistionē nouam formam excitat in illis.

no vincitur & corrumpitur, & in fæcem, cinerem & vitrum transit. Sic lapis Philosophorum agens in metalla & argentum viuum, illa non corrumpit, neque in se transformat, nec suam illis formam impertit, sed ex mistione eorundem cum illo, succedit alia forma, scilicet argenti vel auri, si qualitates igneæ lapidis Philosophici & qualitates frigidæ & humidæ argenti viui vulgaris vel metallorum contrariæ æquabiliter pugnent. Hoc enim proprium esse dixi veræ mistioni, vt ex duobus diuersarum formarum mistis corporibus, resultet tertium corpus nouæ formæ. Sanè si vires eiusdem lapidis seu seminis aurifici in pauciorem argenti viui quantitatem agerent, quàm huius vires viribus illius resisterent, hoc in naturam illius transiret, sed mistum minoris efficaciæ fieret, vt in responsione ad decimum quintum argumentum dixi, & superuacua esset repetitio. Quod autem de alteratione dictum est, sic intelligendum est, vt nisi lapis aurificus aut metalla aut argentum viuum contrariis pugnarent qualitatibus primis non fieret mistio, sed alteratio tantùm quædam secundum posteriores qualitates, vt duriciei & molliciei. Sed omnis Argyropœia & Chrysopœia eò tendit, vt illæsa vi aurifica aut argentifica in semine qualitates igneæ intendantur, & quò efficaciores fuerint, tantò numerosior & locupletior succedit effectus.

Mistionis veræ proprietas.

Omnis conatus artis est qualitates igneas seminis aurifici intendere.

Vicesi-

Vicesimum Argumentum.

Impium est credere, Artem aliquid præstantius efficere posse, quàm Deus & natura efficiunt.

Atqui Chemici dicunt, lapidem se efficere posse, qui sit auro præstantior perfectior & efficacior. Ergo,

Impium est credere Chemicos præstare posse, quæ dicunt, per lapidem philosophicum.

Responsio.

Calumniosum est proponere Chemicos aut conari aut velle, aut posse præstantius aliquid efficere, quam Deus & natura efficiant: Agnoscunt enim Deum vt causam primam & vniuersalem, rerum omnium autorem & opificem omnipotentem. Qui cùm velit quicquam miraculosè efficere, sine causarum naturalium interuentu id efficit: cùm verò naturaliter, concurrit cum iisdem causis naturalibus, quibus iussit, vt cum certis legibus & proportione coierunt prima rerum omnium primordia, scilicet quatuor Elementa, corpus aliquod naturale materia & forma constans in lucem prodiret, vt & tu alio loco loquens de mistione fateris, Eraste. Fatemur igitur, Chemicos, nihil prorsus efficere posse, sed omnes omnium rerum effectus ad Deum & causas naturales referendos esse, à quibus accepti sunt. Chemicos autem subiicere posse materiam naturæ vt ipsa agat, negari

Artem nõ agere sed Deum & causas vniuersales, artem autẽ subiicere materiam.

non poteſt. Agricola cum terram colit, cum ſemina iacit in eandem non agit, ſed eſt miniſter naturæ. Qui ignem lignis, carbonibus, oleo aut inflammabilibus ſubiicit, non exurit, ſed ignis. Vitrum quod ex cineribus & arena fit, vitrarius non efficit, ſed ignis, cui ſubiicit materiam. Interim tamen hi omnes efficere dicuntur, non velut cauſæ principes, ſed impellentes & adiuuantes. Sic lapidem Philoſophicum aut aurum non efficiunt Chemici, ſed miniſtrant cauſis naturalibus materiam, vt agant in illam. Quod autem ab iiſdem cauſis naturalibus ſubiiciente arte aliquod perfectius miſtum produci poſſit, quàm quod natura ſola ſine arte efficit, in iis, quę ſolam miſtorum rationem & nomen obtinent, non eſt impium credere: vitrum enim perfectius eſt corpus miſtum, quàm corpus aliquod naturale. Ignis enim, qui omnia corpora naturalia, auro excepto, corrumpit, exurit & diſſoluit, ipſum nuſquam poteſt corrumpere. Sic lapis longè auro eſt perfectior, ídque duplici ex cauſa. Prior eſt, quòd ſi miſtionis inuincibilis & indiſſolubilis ratio habeatur, ſolutione & coctione diuturna tam firmam, ſolidam & vnitam miſtionem ſibi comparauit: vt nullum impoſterum imperium ignis in illum habiturus ſit, quantumuis diuturnus & violentus. Altera, quòd ſi qualitates primæ, quibus Philoſophi vires omnes tribuerunt, ſpectentur, igneas ſibi eadem ſolutione & concoctione com-

Miſtum aliquod perfectius produci poteſt à cauſis naturalibus arte iuuāte.

Cur & quomodo lapis auro eſt perfectior.

ne com-

ne comparauit, quibus aurum & vitrum destituta sunt, quamuis alioqui perfectissimè mista sint. Hinc aurum non agit in reliqua metalla, vti lapis Philosophicus. Cur autem lapis Philosophicus perfectiori & nobiliori forma cõstet, quàm aurum, iam dixi superiùs. In vniuersum enim quæcunque corpora naturalia iam mista rursus miscentur, perfectiora sunt. Pullus est ouo nobilior, & animal semine, ex quibus ortum habuerunt. Sic lapis aurificus nobilior auro & suo argento viuo, ex quibus proximè habet ortum. Quod etiam dicunt, aurum ex argento viuo in pulueris aurifici formatum perfectius esse auro naturali, nec id etiam est impossibile. Argentum enim viuum omnis substantiæ inflammabilis est expers, à qua forsitan materia ex qua aurum in visceribus terræ concretum est, non est omnino purgatum.

Corpora naturalia mista si rursus miscentur, perfectiora sunt.

Vicesimum primum Argumentum.

Formarum immissio in materiam est creatio.

At creatio solius Dei est omnipotentis, Ergo

Chemici formam auri in materiam immittere non possunt.

Responsio.

Huic argumento idem quod superioribus respondendum est, Chemicos scilicet formam rebus impertire nec velle nec posse: In plantis enim & animalibus vim formatricem

ſeminibus inſitam vident:in miſtis verò ta
tùm corporibus iuſſum & voluntatem D
vim efficientem eſſe agnoſcunt, quoties el
menta certa lege & proportione coierin
Coeunt autem, cùm ſubiicit ars materian
quam vires & qualitates eidem inſitæ, calor
externo iuuante, ſubigunt & miſcent,& hi
forma in materiam proſilit.

Vicesſimum ſecundum Argumentum.

Quod natura in vnoquoque genere perf
ctiſſimum efficit, nec perfectius efficere po
tuit,aut noluit,ars efficere non poterit. At na
tura in genere metallorum aurum effecit per
fectiſſimum, nec perfectius efficere aut po
tuit aut noluit. Ergò

Ars aurum perfectius efficere non poterit
Ergò nec ex eo lapidem philoſophicũ, quen
auro perfectiorem eſſe oportet.

Reſponſio.

Reſpondeo, vt ad vicesſimum argumen-
tum,in miſtis tantùm corporibus miſtionem
arte miniſtra & ſubiiciente materiam cauſi
naturalibus, perfectiorem fieri poſſe quàm i
miſtis & ſola natura.

Vicesſimum tertium Argumentum.

Quod natura non tentat, nec poteſt effice-
re,ars etiam minimè præſtare poteſt.

At natura neque tentat, neque poteſt ſpe-
ciem vnam vnius generis proximi, permuta-
re in ſpeciem aliam nobiliorem eiuſdem ge-
neris proximi. Ergo,

Nec

Nec ars poterit etiam idem præſtare.

Reſponſio.

Idem quoque quod ad ſuperiora reſpondendum eſt. In ortu plantarum & animalium fieri corruptionem prioris materiæ, & reſolutionem omnium accidentium, Idcirco ſpeciem vnius generis proximi in ſpeciem eiuſdē generis nobiliorem aut ignobiliorem tranſmutari nō poſſe, veluti canem mortuum non tranſmutari in capram aut aliud animal: vel plantam vnius ſpeciei in plantam alterius ſpeciei ſub eodem genere plantæ (quamuis triticum in lolium & è contra hoc in illud quidam mutari dixerint) ſed fieri reſolutionem accidētium vſque ad prima elementa, niſi ex eadem materia poſt multas mutationes producatur ſemen alterius ſpeciei ſub eodem genere.

In ortu plātarum & animalium fit corruptio.

In ortu autem miſtorum corporum ſimpliciter non fieri corruptionem materiæ, nec reſolutionem omnium accidentium priorum ſed diſſolutionem quandam ſimplicem relictis accidentibus communibus priori, & poſteriori ſpeciei, & vbi ventum fuerit ad materiam proximam, eam perfici, nec diſſolui nec corrumpi: idcircò non eſſe neceſſe metalla, quæ miſta tantùm ſunt corpora, in ſpeciem alterius generis quàm metallici, cùm ex his fit aurum, mutari. Hæc autem ex iis quæ dicta ſunt, manifeſtiſſima ſunt, nec repetenda puto.

In ortu miſtorum ſimpliciter non fit corruptio.

Quod autem natura in mineris metalla

Natura sola non potest efficere, quod eadem arte ministra efficit, idque in mistis tantùm. Erasti error.

reliqua non mutet in aurum, etiam responsum est, in mistis tantùm solam naturam efficere non posse, quæ eadem arte ministra efficit. Hæc autem omnia superiora & proxima tua argumẽta, Eraste, eodem fundamento nituntur, quod iisdem legibus mistionem mistorum & inanimorum corporum metiri volueris, quibus ortum plantarum & animalium, quæ tamen longo inter se interuallo distant in multis, satis, vt opinor, supra demõstratum est. Atque hinc sequitur aliud tuum Argum.

Argumentum vicesimum quartum.

Si aurum per multiplicationem generat aliud aurum ex materia metallorum, ceu grana tritici per multiplicationem generant plura alia grana, eundem modum & progressum temporis obseruare necesse erit in multiplicatione auri, qualem in multiplicatione granorum tritici.

At idem motus aut progressus temporis à Chemicis non obseruatur, nam per proiectionem lapidis aiunt multiplicationem hanc fieri instanti. Ergo,

Hæc auri multiplicatio fieri aut sperari non potest.

Responsio.

Alia est lex mistionis, alia ortus & interitus.

Idem etiam respondendum huic argumento quod cæteris, scilicet aliam esse legem mistionis simplicis in mistis corporibus, & aliam ortus & interitus in plantis & animalibus. Ex

mistione

mistione enim lapidis philosophici vi aurifica illi insita, per qualitates igneas fit mistio perfecta in materia metallorum, & hinc aurum, seruatis legibus, quæ in mistione dictæ sunt: In plantis verò & animalib s fit multiplicatio vi seminis vnius cuiusque speciei. Libenter admittam lapidis Philosophici progignendi rationem à naturę operibus exquirendam esse, neque ipsum, nisi progressu temporis certo & præfinito, produci posse. Et quoniam ille ortus est etiam per simplicem resolutionem & mistionē vires etiam illius in infinitum augeri posse, cùm sit in potestate artis, subiicere quoties velit eundem lapidē naturæ, vt rursus eundem soluat & concoquat. Causa igitur multiplicationis granorum tritici eadem censenda est, quæ & auri. Est enim vis aucta vtriq. grano scilicet & auro, ex hoc sc. cùm progignitur lapis: At modus multiplicationis siue augmenti diuersus est. In illis enim non nisi stato temporis interuallo fit propagatio, in hoc per proiectionem in instanti. Hæc tamen auri propagatio plerunque fit progressu temporis, vt in priori methodo supra diximus.

Lapidis philosophici progignendi ratio à naturæ operibus exquirenda. Vires lapidis in infinitum augeri possunt.

Vicesimum quintum Argumentum.

Vt ars metalla reliqua in argentum aut aurum transmutet, in materiam proximam reducenda sunt, eíque eadem forma insculpenda qualem natura insculpit.

At nusquam corpus aliquod aut natura aut arte mutetur in proximam materiam, nam corpus animalis non redit in sanguinem, nec sanguis in Chylum, nec chylus in alimenta, sed etsi ars posset retrorsum ire, formam, tamen vt natura, insculpere non posset. Ergo, Ars argentum aut aurum ex metallis animare non potest.

Responsio.

Concedimus naturam aut artem non posse resoluere metalla aut aliud corpus naturale in proximam materiam, ex qua statim & nullo intermedio ortum subierint, neque id necesse est apud artem. Probauimus enim solidissimis rationibus & experimentis materiam proximam, ex qua in visceribus terræ natura sola gignit argẽtum aut aurum, non esse eandem quam ars subiicit naturæ extra minerarũ locum. Sed materiam argento & auro proximam eámque etiam naturalem, scilicet argẽtum viuum tam vulgare, quàm quod potentia proxima inest reliquis metallis, & ab illis eruitur, non per corruptionem, sed per simplicem resolutionem, neque iisdem modis formam argenti aut auri materiæ nostræ proximæ induci, quibus natura in mineris vtitur. De his enim omnibus nihil adhuc constat inter authores, qui metallorum historiam scripsere. Frustra igitur obiicitur, eandem materiam & causam efficientem, quales sunt in mineris, assumendas esse ab arte, si velit argentum aut

Alia materia & causa efficiens arti, alia soli naturæ in auro cõficiendo necessaria.

Non constat de causa efficiẽte, materia & modo, quibus natura agit.

tum aut aurum producere.

Vicesimum sextum Argumentum.

Chemici dicunt se facere aurum naturale iuuando materiam, non secus ac agricolæ triticum, aut medici sanitatem. Atqui Agricolæ & Medici nec materiam nec causam efficientem præstare, nec formam conferre, nec triticum gignere, nec sanitatem efficere possunt. Ergo,

Nec Chemici arte sua argentum aut aurum efficere poterunt.

Responsio.

Cum tantùm iuuent materiam Agricolæ, Medici & Chemici, propriè & verè non efficiunt, sed eam tantùm subiiciunt naturæ, cuius sunt ministri. Causæ autem naturales agunt & sunt principes causæ agentes & efficientes. Malè igitur & propositione & assumtione obiicitur Chemicis, artem argentum aut aurum gignere non posse. Neque enim id se agere dicunt, nec possunt, sed solum naturam & naturales causas.

Ars tacita est naturæ ministra: natura autem efficit.

Vicesimum septimum Argumentum.

Natura ex sua propria materia aurum facit, & eadem à suis naturalibus causis efficientibus formam substantialem auream tribuit.

At ars & initium & finem facit, & omnia externè agit. Ergò, Ars substantialem formam & insitam dare non potest,

Responsio.

Ars ministra naturæ agit per causas naturales.

Respondendum idem quod superiori argumento, artem non efficere argentum aut aurum, sed naturam solam, cuius eadem ars est ministra & per easdem causas naturales, non autem ex eadem materia & causa efficiente, quæ sunt in mineris.

Vicesimum octauum Argumentum.

In materia reliquorum metallorum, vt ex his fiat argentum vel aurum, vires argentificæ aut aurificæ insitæ esse debent.

At in materia metallorum reliquorum hæ vires non sunt insitæ. Ergo, Ex materia reliquorum metallorum argentum aut aurum nusquam fieri poterunt, nec natura nec arte.

Responsio.

Vires quædam in materia, quædam in causa efficiēte. Mercurius est dispositus ad patiendum vt ab efficiente causa informetur. Vires efficiētes aurificæ non in Mercurio sed in lapide insunt.

Vires bifariam æstimantur: Aliæ quæ in materia benè disposita insunt, Aliæ quæ in causa efficiente. Illæ sunt in argento viuo, tam vulgari, quàm quod corporibus metallicis inest, potentia proxima, quod diximus esse materiam argento & auro proximam, quod inquam argentum viuum dispositum est ad patiendum, & vt ab efficiente causa informetur. Efficientes autem argentificas aut aurificas & igneas fatemur non inesse argento viuo, sed pulueri seu semini argentifico aut aurifico, Ex cuius mistione cum eodem argento viuo metallorum aut vulgari, igne externo iuuante, aurum emergit, vt sæpè dictum est. Poterunt etiam quædam in quibusdam supplere vicem

& munus

& munus lapidis aut ſeminis aurifici, vt de argento in aurum mutato diximus experientia comperiſſe. Verùm id quidem magno cum labore, pauco fructu & fœnore, ſi cum ſemine noſtro argentifico aut aurifico conferatur.

Quædam etiam ſine lapide in aurū mutari poſſunt.

Vicesimum nonum Argumentum.

Formæ naturales rebus inſitæ non informant prius aliam materiam extra ſe, quàm illam ſibi propriam effecerint. Atqui nec lapis Philoſophicus nec quidquam aliud poteſt materiam reliquorum metallorum ſuam facere: id eſt, argēto aut auro proximam. Ergo,

Lapis Philoſophicus non poterit informare reliqua metalla in argentum vel aurum.

Reſponſio.

Idem ferè argumentum eſt, quod decimum quintum. Itaque huic vt illi, ne tædioſa ſit repetitio, eſt reſpondendum. Sed quod in aſſumptione dicitur, lapidem philoſophicum materiam reliquorum metallorum ſuam efficere non poſſe, id eſt, reducere ad materiam argento & auro proximam: concedendum quidem eſt, ſi de materia proxima, qualis in viſceribus & mineris terræ, intelligatur, hoc enim eſt impoſſibile: Sed ſi de materia proxima apud artem, id eſt, de argento viuo, falſa eſt aſſumptio. Lapis enim & argentum viuum ex eadem origine fluxerunt, & vtrumque igne eſt indiſſolubile: igitur propter ſimilitudinem

Lapis philoſophicus & Mercurius ex eadem or-

rigine fluxerunt.

totius ſubſtantiæ vtriuſque facilè miſcentur, & lapis aurificus retinet, concoquit, figit & tingit argentum viuum vi qualitatum ignearum, & cùm vtrumque igni non cedat, nec corrũpatur, fit miſtio ſtans & perſeuerans: interim ignis externus agit in materiam à natura argenti viui alienam, eámque exurit & excernit à ſubſtantia argenti viui. Sic mutatum apparet argentum viuum in aurum.

Quomodo lapis philoſophicus tranſmutat metalla in aurum.

Tricesimum Argumentum.

Chemici aſſeueranter ſcribunt fieri non poſſe, vt argentum aut metallum conflet, quiſquis non exploratè cognitum habet, ex quibus & quomodo natura metalla generat.

Atqui hæc omnia ipſi ignorant. Ergò,

Ex metallis aurum conficere non poterunt.

Reſponſio.

Falſum eſt Chemiſtas dicere, neceſſarium eſſe naturam metallorũ, vti in viſceribus terræ à ſola natura concreuerunt, cognoſcere: hoc enim certò ſciri non poteſt, nec quæ fuerit materia illorum proxima, priuſquam ortum ſubierint. Sed natura eorum inquirenda eſt, ex materia & forma eorundem, quæ & qualis eſt poſt eorum à natura ortum, & vti nunc ipſa conſpicimus. Hoc autem ex perpeſſione materiæ iudicatur, & in quibus ex eadem argentum à reliquis metallis differant. Perpeſſiones autem hæ & differentiæ in examini-

Metallorum natura ex perpeſſione materiæ eorũdem iudicatur.

minibus propriis & igne oculis conspiciũtur.

Sic quę perfectè aut imperfectè mista sunt, iudicio sensuum demonstrantur. Quibus perspectis statim inquirit huiusce operis inuestigator, qui fieri possit, vt reliqua metalla eadem, quæ argentum & aurum examina subeant, Quod neutiquam præstari poterit, nisi cognita materia illis insita argento & auro proxima,& causa efficiente. Hæc igitur sunt, quæ apud artem necessaria sunt, quæq́ue facilè demonstrari possunt, cum iudicium sensus de illis fidem faciat: quod non idem de materia metallis proxima in mineris terræ dici potest. Quæ sciẽu sint necessaria apud artem.

Tricesimum primum Argumentum.

Quamuis Chemici scirent materiam proximam,& causam auri effectricem, tamen in alio loco,quàm in mineris naturalibus aurum facere non possent.

Atqui nullum alium locum habent, quàm fornaces, Ergo,

In illis argentum aut aurum efficere non possunt.

Responsio.

Falsa est propositio. Nam & aliis principiis incumbit ars,quàm iis quæ in mineris assumit natura: Et alio loco argentum & aurum efformanda esse, satis ex superioribus constat,nec alia refutatione opus est.

Tricesimum secundum Argumentum.

Chemici fatentur: Si natura in mineris

naturalibus non transmutat viliora metalla in argentum & aurum, Ars Chemica etiam ea non poterit transmutare.

Atqui natura nusquam transmutat ea in argentum aut aurum. Vnius cuiusque enim metalli materia est proxima quæ alterius metalli non potest esse materia. Ergo,

Petri Boni Ferra. opinio de causa aurum efficiente in minera.

Ars etiam ea non transmutabit in aurum.

Responsio.

Propositio authorem habet Petrum Bonum Ferrariensem, Ait enim, causam efficientem in mineris metallorum esse sulphur, aut aliquid ex natura sulphuris nostri vulgaris: quod si ipsum natura coctione à materia metalli cuiuslibet secreuerit, fieri aurum, sin minùs, imperfectum manere: Idcircò progressu temporis sulphur illud excerni in mineris, dum tandem metallum ab illo omnino purgatum aurum reperiatur. Multa autem esse impedimenta in mineris terræ, quibus purgatio illa sistitur & cohibetur.

Improbatur opinio Petri Boni.

Verùm huic opinioni subscribere non possum: sed aliam materiam & causam efficientem arti necessariam, aliúmque agendi modum adhibendum sentio, à quibus idem effectus sequatur, vt probauimus: Itaque siue in mineris terræ natura viliora metalla transmutauerit aut non transmutauerit in argentum aut aurum, malè sequitur, per alias causas naturales, quas diximus, arte iuuante eadem in argentum aut aurum mutari non posse.

Tricesi-

Tricesimum tertium Argumentum.

Si species metallorum permutari non debeant in eandem generis proximi speciem, resolui ea necesse est in materiam communem omnibus speciebus eiusdem generis.

At metalla validissimo frigore concreta in mineris rursus in materiam communem eiusdem generis resolui non possunt. Ergo, In mineris magis perfici non possunt.

Responsio.

Parum refert scire metalla in mineris frigore concreta resoluantur necne in communem materiam. Responsum est enim suprà proximo argumento artem idcircò oppugnari non posse.

Tricesimum quartum Argumentum.

Vt species eiusdem generis proximi transeat in alienam speciem eiusdem generis necesse est vt indiuiduum speciei prioris mutetur in indiuiduum speciei futuræ.

Atqui hoc fieri non potest, Ergo,

Metalla, quæ certam habent speciem, transmutari non possunt in aliam.

Responsio.

Verissima propositio, sed Assumtio falsa, saltem tibi, Eraste, impossibilis, qui ignorasti, nec expertus es viliora metalla in proximam argẽto aut auro materiam resoluere, nec nosti causam efficiẽtem, quósve effectus producat.

Tricesimum quintum Argumentum.

Quæ in benè institutis Rebuspub. & Eccle-

siasticis legibus prohibita sunt, sciri non oportet.

At Chemica ars in iisdem prohibita est, Ergo,

Non inquirenda.

Responsio.

Vera quidem propositio tua Eraste, quę tamen non ita generaliter concedenda, quin exceptionem aliquam pati possit. Quod si æquè vera esset sua assumtio, obmutescerem. Sed vellem te nominasse authores probatissimos huiusce propositionis. Quandoquidem eos ex officina tua prodiisse putabo, cùm palàm hodiè & olim à principibus Germaniæ, & quam plurimis viris bonis hæc ars exerceatur. Sceleratis quidem & impostoribus quibus nulla alia cura est, quàm fallendi & fallendo diuitum nares emungendi, inhibēdam esse eandem artem, Reip. esse vtile existimauerim. Interim minimè ferendum est, in quirendis naturæ arcanis piis & probis viris viam occludere, qui non opum, cum pauco cōtenti sat diuites sint, sed admirandorum Dei operum iusto desiderio ad eiusdem artis cognitionē alliciūtur. At quod tu de Ecclesiasticis legibus dicis, reperio contrà in illis eiusdem artis mentionem aliquā fieri, Esdras propheta libro 4. ca. 48. Sic ait: Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi. Quoniam dabit terram multam, vnde fiat fictile, paucum autem puluerē, vnde aurum fit. Nec omnino improbabile est

Sceleratis & impostoribus inhibendam esse artē hanc.

Esdras li. 4. cap. 8.

bile est

lle est, per paululum pulueris intelligi semen aurificum. Thomas autem Aquinas in 22. qu. 77. art. 2. sic ait: Si per halchemiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere: quia nihil prohibet, artem vti aliquibus causis naturalibus ad producendos naturales & veros effectus, sicut etiam Diuus Augustinus dicit libro de Ciuit. Dei. Sunt & alia testimonia plurima, sed cùm nulla citas in contrarium, hæc enarrasse sufficiat. Thom. Aquin 22 q. 77. art. 2.

Tricesimumsextum Argumentum.

Formæ rerum non sunt separabiles sed in materiam tantùm propriam agunt, non in aliam.

At formæ lapidis Philosophici & metallorum sunt separabiles. Ergo.

Forma lapidis non aget in materiam metallorum.

Responsio.

Idem argumentum quod decimum quintum & vicesimum nonum. Idcircò huic idem quod illis respondēdum est. Qualitates enim quæ sunt in mistis corporibus diuersarum specierum, si contrariæ sint, pugnant, & agunt & patiuntur inuicem seséque ad moderationem redigunt, fitque vnum corpus vnius formæ, prioribus exinanitis. Ex pugna contrariũ qualitatũ fit noua mistio & noua forma oritur.

Tricesimumseptimum Argumentum

Indiuiduum vnius speciei non potest transmutari in Indiuiduum alterius speciei, eiusdem generis proximi.

Atqui ſtannum, plumbum, æs & ferrum ſunt ſub eodem genere, ſcil. metalli, Ergo,

Aliud non poteſt tranſire in Indiuiduum alius.

Reſponſio.

Repetitum eſt hoc argumentum. Eſt enim ſecundum ex ordine ſuperiùs conſtituto. Itaque huic, vt illi, eſt reſpondendum.

Triceſimum octauum Argumentum.

Chemici dicunt, metalla debere reſolui in materiam eorum primam, ſi in argentum aut aurum ea mutari oporteat. At hoc fieri non poteſt. Ergò, In argentum aut aurum tranſmutari non poſſunt.

Reſponſio.

Periti Argyropœiæ & Chryſopœiæ de reſolutione in primam materiam differentes intellexerunt de materia argento & auro proxima, quæ eſt argentum viuum, vt iam ſæpè dictum eſt, non de materia ex qua in mineris terræ miſta ſunt.

Triceſimum nonum Argumentum.

Quæ artes quotidiè experimentis eſſe probantur, veræ ſunt, vt Medicina, Ars fuſoria & cæteræ.

At Ars Chemica nuſquam experientia aliqua probata eſt. Ergò,

Ars non eſt vera, ſed falſa.

Reſponſio.

Falſa eſt aſſumtio. Nam ſi, Eraſte, experimentum

mentum nullum vſquam verum vidiſti, non ſequitur, omnes nihil vſquam experientia verum comperiſſe. Negatiua tua eſt aſſumtio vniuerſalis, quam particularis affirmatiua euertit.

Quadrageſimum Argumentum.

Impium eſt affirmare artem poſſe, quod natura efficit.

Atqui hoc affirmat Ars Chemica. Ergo,

Impium eſt quod affirmat.

Reſponſio.

Falſa eſt aſſumtio. Chemica enim Ars non affirmat aliquid ſe efficere propriè, ſed ſubminiſtrando & ſubiiciendo naturæ materiam & cauſam efficientem naturalem efficere dicitur. Et ita reſponſum eſt ſupra ad ſimilia argumenta.

Quadrageſimum primum Argumentum.

Si hæc Ars eſſet vera, ditaret omnes, qui eam exercerent.

At ferè omnes ex ea ad inopiam penè redacti ſunt, Ergo,

Hæc Ars eſt falſa.

Reſponſio.

Vulgò ſolet obiici hoc argumentum, nec validius aliud exiſtimatur ad euertendam Argyropœiam aut Chryſopœiam. Sed huic argumento variè reſponderi poteſt. Omnium ſcientiarum & artium fines poſtremi ſunt

Varios eſſe ſcientiarum & artium fines.

varij. Horum primo ordine eſt contemplatio ſola in ijs artibus potiſſimùm, in quibus admiranda Dei omnipotentis Opt. Maximi ſibi obſequentis naturæ opera non vulgò cognita relucent, in quorum contemplatione mens humana ſatiatur & acquieſcit. Secundo ordine finis eſt, Actio earundem ſcientiarum aut artium, vt quam quiſque didicerit artem, eam exercendo neceſſariis miſerrimæ huius vitæ tranſigendæ non careat, & Reip. proſit. Et hos quidem fines, quicunque ſapit, laudabiles eſſe profitebitur: propter quos etiam Argyropœia & Chryſopœia iure expetenda eſt. Illic enim admiranda naturæ arcana contemplari licet, nec qui eam rectè norunt, eoſdem famelicos eſſe ipſa vſquam permittet.

Fines ſciētiarum & artiū laudabiles.

Verùm alius eſt artium finis vituperandus & damnandus, ſcilicet auri ſacra fames, & habendi inſatiabile deſiderium. Poſtremum hunc finem, Eraſte, falſum exiſtimaſti eſſe verum Argyropœiæ & Chryſopœiæ finem. Nam ſi Medicinæ, quam profiteris, tibi is tantùm ſcopus eſt, vt ditior fias, non vt Reip. aliquam vtilitatem afferas, minimè laudandus eris. Ex falſa igitur propoſitione aſſumtionem & concluſionem falſam & vitioſam eſſe certum erit. Sed eſto, concedatur finem Argyropœiæ & Chryſopœiæ eſſe opes & diuitias, ex illarum tamen copia aut penuria, vera an falſa ſit ars, diiudicari non poterit. Nam argumen-

Qui finis artium & ſcientiarū vituperādus ſit.

Veritas & falſitas artis non ex opum copia aut inopia, ſed ex ignoratione artis iudicanda.

rgumentum tuum eſt à poſſibili, quo aliqua eceſſitas non inducitur. Si enim ex ignoraone huiuſce aut alterius artis, qui eam exeruerit, pauperior euaſerit non arti, ſed ignoationi artificis imputabitur. Nec tamen proterea ars aut falſitatis aut impoſſibilitatis corguenda erit. Sin ab ingenioſo & perito exrceatur, nihil illi ex operibus deerit, & ſiue auco contentus fuerit, nec niſi quantum rei amiliaris neceſſitas poſtulabit, (qui ſapientis erus eſt ſcopus) ſiue opibus ſe profluere & uperbire, re ipſa demonſtrauerit (qui inſiientis eſt finis) veritas artis deprehendetur.

Sed quoniam vt plurimum hæc ars ab imperitis tractatur, mirum non eſt, ſi ipſa pauperiem facere dicatur. Sanè niſi ab expertis edoceatur, & re ipſa demonſtretur, vix niſi longiſſimo tempore ad eam perueniri poteſt. In ſumma, ſi Argyropœiam aut Chryſopœiam exercentes ad inopiam rediguntur, non artis falſitas, ſed turpis illorum ignoratio cauſa eſt inopiæ.

Imperiti artis pauperiem facere ſolēt.

Difficultas artis.

Quadrageſimum ſecundum Argumentum.

Quæ à grauibus & probatiſſimis viris ars nec cognita nec probata eſt, ars non eſt.

At grauibus & probatiſſimis viris chemiæ ars non eſt probata. Ergo,

Ars non eſt.

Huic argumento adiicis aliud ſimile.

Quadragesimum tertium Argumentum.

Quæ nouæ sunt Artes, non sunt Artes.

Atque ars Chemica quatuor aut quinque antehac secula non excedit. Ergo,

Non est Ars.

Responsio.

Si Hippocratis, Aristotelis, Galeni & cæterorum antiquorum Philosophorum & probatissimorum virorum seculis hæc ars incognita fuit, vt ars nec etiam ab iisdem probari aut improbari potuit. Nec quod forsitan tantæ sit antiquitatis, vt putas, idcircò ars non est dicenda. Nam & nauticæ pixidis, tormentorum bellicorum, & Typis excudendorum librorum artes vetustati incognitæ fuerunt, quibus tamen artibus antiquitas nihil par habet. Artes tamen sunt & verissimæ. Nec minus his omnibus verissima est & admiranda Argyropœia & Chrysopœia, quæ etiam cognita est viris probatissimis, & in naturalibus Philosophię præceptis peritissimis, licet paucis, inter quos primas partes tenet Geber, quem, tu Eraste, idolum Chemicorum appellas. Verùm definitionibus, diuisionibus, causis & effectibus & certis præceptionibus è physicis petitis artem verissimam esse probauit. Plura tamen dicta esse ab eo comminisceris, eáque redarguis, quæ nusquam somniauit.

Nouæ quędam artes veteribus præstātiores.

Geber artem hanc esse verissimam ꝓbauit.

Hæc sunt argumenta tua Eraste, quibus non sine contumeliis, iniuriis & ira aduersus Chemicos

micos pugnasti, anno, vt scribis, millesimo quincentesimo sexagesimo sexto, mense Augusto: At cùm deferbuisset ira tua, & ab egregio & docto viro, vt scribis, argumenta quædam opinioni tuæ aduersantia proposita essent, iis respondisti sub finem huiusce disputationis, & modestius quidem, vt videtur, quàm superioribus argumentis.

Erastus impugnauit Chemiam anno 1566.

Ostendit tibi is, vt ais, argentum viuum ab auro prolicitum, & ex cæteris metallis prolici posse profitetur, nec multum aduersaris. Sed quod argentum viuum vel vulgare vel ab imperfectè mistis metallis reductum sit materia argento & auro proxima, negas. Et quamuis ita se res haberet, tamen arte in argentum aut aurum mutari posse inficiaris: fateris tamen argentum viuum ex auro reductum facile & celeriter in aurum concoctione posse redire. Argentum autem viuum, quodcunque sit, non esse materiam argēto & auro proximam, hinc coniicis, quod vnumquodque argentum viuum sit tantùm Indiuiduum suæ & propriæ speciei, & quod alterius speciei Indiuiduum nusquam esse possit. Vt si ex plumbo arte proliciatur argētum viuum sit Indiuiduum plumbi, si alterius, sit eiusdem Indiuiduum. Vt id conformes, similitudinem adiicis in sanguinibus qui à diuersæ speciei animalibus fluxerunt, qui omnes sese colore referunt, & idem sanguinis nomen obtinent, sed non eandem rationem, naturam & speciem gerunt.

Mercurius ex auro prolicitus.

Quædam quæ concedit Erastus, quædam autē negat.

Sed & in carne & multis aliis rebus eiuſden nominis exempla adfers: hinc conficis: Si argentum viuum vulgare aut quod à metalli prolicitur, non eſt materia argento & auro proxima, ſiue eorundem Indiuiduum, vano eſſe omnes omnium Chemicorum conatus cum nulla materia poſſit motu à cauſa efficiente formam certam apprehendere, niſi formæ huic ſit potentia proxima.

Sanè ex multis quas aduerſus artem hanc attuliſti argumenta nullum hoc veriſimilius eſt, quodque magis vrgere videatur, ſed cui tamen facilè ſit reſpondere. Nititur enim hoc argumentum tuum ſimilitudine nominis, non rei aut ſubſtantiæ. Argumenta hæc omnia à ſimili plus ad illuſtrandam probationem quàm ad illam ſtabiliendam proſunt. Nam ferè omnia infirma argumenta à ſimilitudine ducuntur, cùm nulla ſit tanta ſimilitudo quæ per omnia extendatur. Nullam autem neceſſitatem inducunt, ſed vt auditores vel legentes ſeſe obſequentes dictis aut ſcriptis reddant, maximè accommodata ſunt: idcircò nullis argumentis facilius incautos decipi & falli contingit, quàm iis, quæ à ſimilitudine rerum ducuntur.

Argumēta Eraſti ferè omnia ad probatione ſtabiliēdam non proſunt, nec neceſſitatem inducunt: quia à ſimili ducuntur.

Huic igitur argumento tuo à ſimili petito, Eraſte, ſic reſpondeo. Materia remota & proxima eodem nomine appellari poſſunt, non eadem ratione cenſeri: vt puta ſanguis ſuillus eſt materia remota carni humanæ ſanguis huma-

Reſponſio ad vltima argumenta à ſimili petita.

manus proxima, & tamen vterque nomen
bet ſanguinis. Sed ſanguis ille ſuillus nuſ-
am erit materia proxima carni humanæ,
i multis mutationibusin ſanguinem huma-
m mutatus ſit. Diſcrimen hoc materiæ
oximæ & remotæ, etſi verum ſit in ſangui-
ſuillo & humano, non tamen hinc ſequi-
, argentum viuum vulgare, aut quod ex
etallis arte prolicitur, aliud eſſe materiam
motam, aliud proximam argento & auro.
robauimus enim ex ſuperioribus omne ar-
entum viuum eſſe argento & auro materiam
roximam & ſola coctione differre: & quò
us fuerit decoctum eò proprius eſſe eorun-
em indiuiduum: nam veluti cineres ex qui-
uſcunque herbis aut lignis aut aliis rebus e-
uſtis, ſunt proxima vitro materia, tametſi ex
iuerſorum generum aut diuerſarum ſpecie-
um corporibus prodierint. Sic & ex qui-
uſcunque corporibus argenti viui materia
iſſoluta fuerit, erit proxima argento & auro
nateria.

Hæc etſi validiſſimis argumentis probaue-
imus tum ex ſimilitudine totius ſubſtantiæ,
um ab accidentibus propriis vtriuſque com-
munibus, tantò tamen verius eſſe exiſtiman-
dum erit, quantò certum eſt argentum & au-
rum finem eſſe & periodum naturæ metalli-
cæ non ſecus ac vitrum finem omnium cor-
porum naturalium. Finem dico, quod ignis
illa diſſoluere aut corrumpere non poſſit, ſed

Aurum & argentum finis naturæ metallicæ: vitrū eſt finis

omnium corporum naturaliũ.

omnem vim artis tolerent, atque eadem semper persistant, quod propriè de auro & vitro dici oportet: sed illud à natura ortum est, hoc ab arte elaboratum: hæc de cæteris corporibus ita dici non possunt, quæ non sunt proxima & impermutabilis materia, sed assiduis mutationibus obnoxia. Argentum autem viuum à sua causa efficiente nihil aliud fieri potest, quàm argentum aut aurum, ceu cinis igne violento agente vitrum.

Distinctio naturæ corporum eiusdem nominis, sed diuersæ rationis.

Omnia igitur argumenta tua, quæ ex discrimine corporum eiusdem nominis, sed diuersæ rationis, attulisti Eraste, hac distinctione euertuntur. quod corporum, quæ sunt eiusdem nominis, alia sunt diuersæ rationis, vt in sanguine suillo & humano: & alia sint materia remota, alia proxima: alia verò non solum sint eiusdem nominis, sed & formæ & rationis, quæ tantùm accidentibus quibusdam differunt, vt argentum viuum vel vulgare, vel quod corporibus metallicis inest, aut aliis rebus.

Præterea quædam corpora sint proxima materia permutabilis in plures alias proximas materias, vt elementa, & quæ ex his concreuere multa corpora: quædam verò sint proxima materia in quoddam extremum impermutabile & fixum, vt argentum viuum, ex quo fit aurum, & omnis cinis, ex quo vitrum conflatur.

Sed video obiici mihi, si argentum viuum non

non poſſit aliud fieri, quàm argentum aut aurum, & aurum ſit impermutabile corpus, ex iis Argyrogoniam aut Chryſogoniam procreari non poſſe, cùm tamen illam proximam his materiam eſſe dixerimus: Reſpondemus, quod de proxima & impermutabili materia diximus, intelligendum eſſe in corpore quod ſola natura produxit, & omnibus notum eſt, vt argentum & aurum: ſed ſemen argentificum vel aurificum à ſola natura non eſt productum, ſed arte miniſtra & impellēte, quamuis à cauſis naturalibus efficientibus.

Hæc ſunt, Eraſte, quæ ad euertenda argumenta tua ſatis eſſe puto, & plura fortaſſis, quàm quę primò propoſuiſſem, quæque quęſtionis, de qua agitur limites prætergrediuntur. Iam igitur finem dicendi facere oportunum eſſe arbitror. Hoc vnum à vobis poſtulo, quos totius Diſputationis iudices conſtituo, vt in memoriam hæc axiomata reuocetis: non hîc agi de ſtirpium aut animalium viuentium interitu, ſed corporum inanimorum & mutorum ſimplici miſtione & diſſolutione: vtraque diuerſis legibus circumſcribi: illorum ortus à cauſa efficiente inſita proficiſci, quæ nec ſit in poteſtate artis, nec eiuſdem ope indigeat. Horum miſtionem à cauſa efficiente prodire, calore ſc. & frigore in humidum & ſiccum agentib. ſi Ariſtoteli credimus. Hæc cum ſint in anima pulſu externo agitari oportere: cauſam autem hanc externam in

Peroratio.

Epalogus axiomatū huiuſce Apologiæ.

artis poteſtate eſſe: vim inſitam & prolificam ſemini plantarum & animalium infundere, non artis quidem, ſed ſolius naturæ eſſe munus: At materiam metallorum imperfectè miſtorum reſoluere, & ad materiam argento & auro proximam reducere, eámque & argentum viuum vulgare perficere, non ſolùm naturæ in mineris terræ, ſed & extra eas opus eſſe artis impellentis cauſas naturales, vt agant in ſubiectam materiam. Formas eorundem metallorum ex perpeſſione materiæ & corporeis affectibus magis quàm ab actionibus iudicari. Eoſdem affectus & proportionem argenti & auri in materia illis proxima ſola miſtione accerſiri. Quibus quęſitis & comparatis in eandem materiam proximam ſtatim argenteam aut auream formam à cauſa efficiente proſilire. Argentum & aurum, præcipuè verò aurum finem eſſe naturæ metallicæ miſtionis: Vitrum verò finem eſſe omnium corporum naturalium, quæ corrumpuntur, & horum materiam tandem, in vitrum miſceri. Huius ſcilicet & illius vitri & auri miſtionem ab igne eſſe indiſſolubilem. Metalla autem omnia & argentum viuum ad hanc auri miſtionem arte reduci per cauſas naturales, & hinc formam naturalem & ſubſtantialem auream in materiam oriri. Materiam proximam vnicuique corpori non corrumpi ſed perfici. Quæ miſta ſunt corpora, ſi rurſus miſceantur, perfectiora & nobiliora eſſe, quàm quæ pri-
mò ex

mò ex quatuor rerum primordiis, ſcilicet Elementis concreuere.

Quæ omnia cum æquilibri ſtatera cum Eraſti argumẽtis perpenderitis, ſcio vos qui rerum naturalium periti eſtis, nec vllis animi perturbationibus vexati eſtis iudicaturos eſſe, me non ſine ratione Argyropœiæ & Chryſopœiæ defenſionem ſuſcepiſſe, illum malè & perperam eandem artem falſi damnaſſe méque optimo iure ab illius ſententia ad Tribunal veſtrum prouocaſſe, & quod ipſum iudicare oportuerat in hac diſputatione ſententiam illius reſcindendo meámque in contrarium confirmando, Argyropœiam & Chryſopœiam artem eſſe veriſſimam pronũtiabis. Concluſio.

Hæc ſunt quæ in quæſtione propoſita, An Argyropœia & Chryſopœia ſit ars, dicenda & differenda eſſe exiſtimaui. Cui cæteræ quoque quęſtiones obiter propter connexionem & cohærẽtiam intermiſſæ ſunt, ſcilicet. Quid ſit: Quod ſit: & propter quid ſit. Quod ſi ea quæ prioris quæſtionis & confirmationis ſtabiliendæ gratia ſcripſi, vobis, qui hæc perlegetis, grata eſſe intellexero, de cęteris quoque quæſtionibus Deo Opt. Maximo fauente luculentius poſthac aliquid editurum eſſe, quantum ſuppetet ocij, apud me conſtitutum eſt, idque abſtruſum magis, & maiori admiratione dignum omniúmque vtiliſſimum.

FINIS.

DE INTERITV ALCHYMIÆ METALLORVM TRANSMVTATORIÆ TRACTATVS ALIQVOT,

multiplici eruditione referti.


Nicolao Guiberto Doctore Medico, Authore.

Adiuncta est eiusdem Apologia in Sophistam Libauium, Alchymiæ refutatæ furentem calumniatorem, quæ loco Præfationis in eosdem tractatus esse possit.

Non pl⁹ vult author quàm non placuisse malignis,
Est honor atque decus perplacuisse bonis.



TVLLI.
Apud SEBASTIANVM PHILIPPE, Typographum Iuratum.
1614.
Permissu Superiorum.





NOBILITATE AC GENEROSITATE PRÆCLARO DOMINO D. CLAVDIO DE LA VALLEE, Equiti torquato Regio, necnon Episcopatus Tullen. Baliuuo seu Præsidi dignissimo, &c.

ANTE aliquot annos (VIR GENEROSE) scripseram Tractatum aduersus Alchymiæ vanitatem, eúmque sub fœlicibus auspicijs Amplissimi nominis bonæ memoriæ Christophori à Valle Patrui tui (dum viueret Antistitis & Comitis Tullen. Episcopatus, ac Sacri Imperij Principis Illustrissimi) ex Musæi tenebris in lucem prodire permiseram: erat enim (vt scis) Patruus tuus vnicus meorum studiorum Patronus, & de me optimè meritus. Euulgato libello surrexit aduersus eum quidam Medicus Germanus, magnus Alchymiæ fautor, cognomine

Libauius, qui innumeris Sophisticis rationibus & argumentis eundem librum demoliri est aggressus. Porrò cùm tandem ad me peruenisset liber, & ipsi Patruo tuo auidè cupienti legendum dedissem. (Erat enim, vt scis, vir non solùm virtute & dignitate præstantissimus, sed etiam naturæ atque ingenij dotis ornatissimus, & plurimis litteris tum diuinis, tum humanis clarissimus, & veritatis amantissimus) in eo legendo tot tantáque friuola paradoxa, deliramenta, errata, & opinionum monstra, in quæ præceps ruebat Libauius, obseruauit, vt non potuerit, quin grauiter in Sophistam istum commoueretur ac stomacharetur, & me statim cohortaretur, ne diutius sinerem veritatis amatores in monstrosis erroribus tanti Sophistæ volutari. Omnem opem, studium, & operam tunc pollicitus. Factum est igitur, vt ego (qui mea sponte ad hanc rem satis incitatus essem) Mæcenatis mei hortatu vehementius inflammarer. Cœpi igitur examinare ipsius Sophistæ Alchymiæ defensionem, & in innumera ipsius errata inquirere. At dum his laboribus incumberem, accidit prò dolor! vt idem Patruus tuus graui morbo correptus, tandem ab inuida morte sublatus, & ad Diuos vti speramus translatus sit, quo vita functo, qui in promouendis meis conatibus adeò benignus fuerat, spe decidi.

Substiti, & contentus fui pluribus doctis hominibus harum Regionum, quæ in Libauianas nugas scripseram legenda dare. Accedebat dolori meo quòd Typographum secundùm cor meum non inuenirem, nec cuperem meas lucubrationes, vt anteà turpiter deformari: Prætereà eodem tempore, allata est ad me ex vrbe Roma à Ven. D. Souchot, Tullen. Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Gengulphi Canonico, copia decreti supremi Inquisitionis Concilij, quo omnibus Christi fidelibus lectio libri maledici Libauij in me editi prohibebatur. Suppressi igitur vt necessario ita non inuitus quæ in Libauium scripseram. Verùm cùm interea lis inter ipsum accidisset Sophistam Libauium & celeberrimum Collegium Medicorum Parisiense, ob damnatam ab ipsa schola publico decreto Alchymiam, & sub eodem tempore ipse Libauius edidisset plura volumina ad Alchymiam pertinentia, in quibus in innumeras fatuitates incurrebat, & mihi etiam nouam offensionẽ afferebat, in ijs etiam me exercere volui, vt vno eodémque tempore duos parietes vna fidelia dealbarem, ne tot repetitionibus opus esset. Plures igitur labores in Alchymiam auerruncandam suscepi & confeci, & doctissimis viris legendos dedi, quorum precibus, vt in publicum emitterentur, obtemperaui: inter quos est hæc lucubra-

cumcula tibi consecrata. Non enim potui neque debui alium seligere Patronum pluribus de causis. Nam præter tuas egregias ingenij dotes ac præclaras animi virtutes, memorati Mœcenatis mei Nepos existis, in quo tota dom⁹ ac familia de la Vallee recumbit, quam colo ob merita in me sua, quorum nulla vnquam delebit obliuio. Accedit his etiam declaratio & significatio beneuolentiæ tuæ in me & in meos. Hanc igitur lucubratumculam grati animi mei argumentum, rogo vt benignè accipias, & vt quemadmodum olim liber meus refutatæ Alchymiæ sub vmbra alarum eiusdem Patrui tui recubuit ei dicatus, sic eiusdē libri defensio tibi à me inscripta sub patrocinio tuo recumbat, & nouus Mœcenas Nepos, succedas veteri Mœcenati Patruo. Vale in annos Nestoreos.

Tui addictissimus
N. Guibertus



CLARISSIMO DOMINO D. NICOLAO GVIBERTO *Doctori Medico.*

TVvs ad Libauij calumnias Apologeticus quem mihi cōmunicandū duxisti (vir ſpectme.) non poteſt non bene de Philoſophia ac religione Catholica ſentientibus arridêre. Nam prӕterquàm quòd vere ac Philoſophice tuam de illuſoria illa Alchymia arte opinionem propugnas, maiorem etiam libri partem in Catholicorū ac maxime celeberrimę ſocietatis Ieſu alumnorum memoria ac honore, ſarto tecto conſeruando inſumis, probe ſanè ac induſtrioſe. Miſſa facio quӕ in gentis noſtrӕ decus etiam copioſe ſubiicis, de qua ſatius fuiſſet bono illi Libauio ſilentiū tenuiſſe quàm ita impudēter (pace id tua dixerim) perennem eius apud omnes gloriam ac honorem conatum eſſe eleuare. Sed quӕ hactenus apud omnes in egregia fuit

existimatione, hac illius calumnia inclarescet potius quàm labẽ contractura sit vllam. Tu interim gratissimum quem patriæ tuæ debes hac aliqua ratione animum exhibens immortalem tibi paras laudis ac honoris coronam. Libauio verò confusionem ac ignominiam nullo vnquam sæculo interiturã: Vt iam verè interitus illius præcurrere existimandus sit illum quem tu Alchymiæ nouo opere apparasti. Fœtum illum tuum auidè vt & cætera quæ recõdita penes te plurima habes singularis ingenij tui monumẽta à te iampridem expecto. Miror verò insignem ac accuratum illum Alchymiæ patronum non moueri potiùs suæ gẽtis imò verò sui potius Principis serenissimi facto egregio, qui insignem Sicophantam artis illius Alchymisticæ alumnum digna pro meritis compẽsatione in Crucem Stutgardiæ egit decem abhinc annis, si Mercurio Gallo Belgico anni 1597. res gestas referenti credamus. Eo facto terreri debuisset potiùs quàm antiquos ac iam diu sopitos militiarum refricare dolores. Faceret melius si non in aurum, ferrum, aliudve metallum sed iuxta Germanæ suę professionis terminum doctrinã illam suam perniciosam nimium,

ſaltem Reipublicæ inutilem, in meliorem immutare eniteretur. Quod ei, vt, & meliorem religionem ex animo opto. Tibi verò omne genus obſequij defero. Vale ac amare perge.

Tui imprimis ſtudioſiſſimum ac cupidiſſimum Carolum Mamburgum, ſacri Iuris Doctorem ac Protonot. Apoſtol.

Tulli Leucorum 10.
Kal. Auguſti 1607.





C. CACHETVS

CLARISSIMO VIRO D. GVIBERTO DOCTORI *Medico. Experientiſſ. S.*



LARISSIME vir, Incidit nuper in meas manus Libauij aduerſum te pro auro Chymico diſputatio: inſpecto auri, Philoſophięq; nomine, eius lectionē mox aggredior (vt ſumus in rem noſtram natura proni, vt faciles, vt creduli) magnum me progreſſū facturum arbitratus, ſi vtroque ſimul, ac ſemel diteſcerem. Figmenta comperio, aurum & Philoſophiam, ambo fictitia; Philoſophum contumelioſum, imo ſeditioſum, ac inſolētem. Ecce prima frōte Lotharis in Prętatione cōciliat Lectorem, me ſibi: Pacis publicæ, ac otij literarij perturbatores vocat Lotharos. Quid Philoſopho cum bellis? Quid Germano cum Lotharis? Quid auro cum

armis? Ergo me accingo ad fabulã, librũ lego, hominẽ video inflatis buccis, turgente fastu intumescentem. Nihil spirãtem præter contumeliam; Non in te modò (vir amicissime) sed in Summum etiam Pontificem, ac in Societatis Patres (quos ille Iesuitulas appellat) ita est in contemptum natus, ac in maledictũ, ita in religionem, ac religiosos irreligiosus, præter rationem, preterque operis institutum. Audio te Apologiam in eum scribere: Ages credo quàm ille modestius, magis Philosophicè, magis religiosè, magis Christianè. Hęc interim mea tibi de illo extabit sententia, dum ego aduersas tuas rationes expecto. Atque vt ille quoque ac cęteri intelligant quid de tali Philosopho sentiant Lotharingi, velim vnà cum tua Apologia prodeãt in publicum infrascripti versiculi, non maledicendi, sed maledicti retorquendi, aut reprimendi potius studio à me conscripti. Vale Vir humanissime, & me ama qui sum tuus. Tulli Idibus Augusti 1611.



EPIGRAMMA

IN EFFRENEM LIBAVII MALEDICENDI licentiam.

QVo raperis? Quæ te dudum malesuada Libaui
Ctesiphone in tantum cogit abire nefas?
Dum nugas teris, ad lites, ad iurgia natus,
Phœbigenas, pacis ruptor, in arma vocas.
Nec satis, oblitum renouas in prælia Martem,
Inque tuos Lotharum seditiosus agis.
Cælum ipsum aggrederis nimio temerarius ausu,
Cœlestem impuro dum quatis ore Petram.
Heu rabies! locus hic ne prophane tenebrio sacris?
Ecquid adhuc inito fœdere bella moues?
Infestus superis, Phœbo, Lotharisque, tuisque,
Infestos omnes experiere tibi.

ALIVD.

ARgutus calamus tuus Libaui
Non leuem ſapit eruditionem.
Turgeſcens calamus tuus Libaui
Ferueſcit, tumet æſtuante faſtu.
Aduerſas acies acutiori
Punctim vrgere ſtylo, nec abnuente
Phœboque, & facili ſatis Minerua,
Arguti ſimul eſt & eruditi:
Nil præter Medicum Sophum, probumque
Aduerſas acies palam canino
Latratu inſequi, & ore viperino,
Non eſt crede hominis, refert furentis
Moloſſi rabiem trucem Trifaucis
Doctrinam colimus tuam Libaui.
Faſtum negligimus, vices dolemus,
Ridemus furias Libauianas.



IN LIBAVIVM ALCHYMIÆ FAVTOREM.

Steph. Regnardi Medici Tullensis

CARMEN.

RElligione patrum explosa qui dogmata ponunt
Altera, non ne nouatores quis iure vocabit?
Qui sophiâ veteri spretâ sibi anilia fingunt
Artibus humanis mutari posse metalla,
Sacráque qui torquent propria vt mendacia texant,
Nõ erit hoc prorsus mutare quadrata rotũdis?
Desinite ô scioli naturæ inuertere motum
Vósque nouatores animum mutate fidemque,
Priscorum mage tuta via est hîc figite metas.



AD CLARISS. D. NICOL. GVIBERTVM DOCTOREM MEDICVM, Claudij Corderij Pronepotis, Medicinæ candidati & Pharmacopolæ,

EPIGRAMMA.


CVm tot præclaris animũ facũde Guiberte
Natura ornauit dotibus alma tuum,
Cur tibi perpetuus ſtudiis furioſa libido
Creſcit, & ad Muſas impetuoſus amor?
Non facis hoc, multo vt poſſis diteſcere lucro
Non te auri illa fames imperioſa tenet
Dum nulla fieri poſſe aurum oſtendis ab arte
Diuitias veras perficis arte tua.
Purgare Augiæ ſtabulum, prodeſſe iuuentæ
Ille tibi ſcopus eſt propoſitumque tenax.
Ergo age maturi captent iam lumina ſolis
Fœtus ingenij non ſine laude tui.



EPIGRAMMA
IN DELIRVM CHYMISTAM LIBAVIVM, DESVMPTVM EX
libro Clarissimi Gretseri in eumdem, qui Antimonium inscribitur.

NEscio quem Medicũ læso insanire cerebro
Cogit, & in rabiem maior ERINNYS agit:
Mittite, si qua liquant medicatos germina succos,
Si qua Machaonias insula sudat opes.
Viscera si Medico tumuissent ægra rubetâ,
Te poteram medicas poscere, Psylle, manus.
Nunc date, si quid habet natura potẽtius; iste
Sanari tritâ non solet arte furor.
Huic & veratri vis prodest nulla cerebro,
Euacuet totas iam licet ANTICYRAS
Et pariter serum est, mediam pertũdere venã,
Nõ vna hũc morbũ vena, sed omnis habet.
Quid faciã? dices, furor est à sãguine. Caussa
O vtinam morbo desinat esse tuo.

NICOLAI



NICOLAI GVIBERTI MEDICI LOTHARINGI, IN Sophiſtam Libauium, Alchymiæ refutatæ furentem calumniatorem

APOLOGIA.

SI quiſpiam eſt mortalium, cui data fuerit vnquàm occaſio maledicenti remaledicendi, ipſum me eſſe fateri certè veritas cogit, cui à maximo Sophiſta, & omnium qui ſunt, qui fuerunt, & qui futuri ſunt maledicentiſſimo, non parua data eſt occaſio, & ei remaledicendi, & Sycophantiam talione repercutiendi, ſi non audaciam compeſcendi, non ſecus ac apud Home-

rum, petulantiam Therſitis illius ſcurræ loquaciſſimi, compeſcuit Vlyſſes. Nam quamquam à me, in eum, nulla vnquàm orta ſit iniuria, præterquàm quod, contra inutile ac vanum Alchymiæ ſtudium, quod circa aliorum metallorũ in argentum & aurum mutationem potiſſimùm verſatur, ſeriò ſcripſerim: Ipſe tamen præſtigiator potiùs quàm Alchymiſta (vt pronunciauit de hoc impuriſſimo homine Doctiſſimus Martinus del Rio, in libris diſcurſuum Magicorum) tanquam alter Therſites ſcurra, nihil habens curæ quàm rectè, aut quàm verè, ſed vt quàm maximè & impudenter loqueretur, cõtra bonos mores, contra omnem humanitatem ac pietatem Chriſtianam, quam tamen caſtè ac piè ſe colere profitetur, tanta iracundia exarſit, vt nulla modeſtiæ habita ratione, auſus ſit, in me bilem ſuam effundere, ac varijs calumnijs, ac conuicijs appetere, vt quem argumentorum pondere opprimere nequiret, conuiciorum ac mendaciorum mole proſterneret. Aditum ſibi per hoc ad decipiendos ſimplices æſtimans aperire. Nec contentus mecum bellum gerere, tanquam rabidus canis, impuriſſimum ſtylum etiam conuertit, in totam

meam Patriam Lotharingicam, & vniuerſum Catholicorum ordinem, ac Religionem quam profiteor Catholicam & Romanam, contumelias & execrationes iaculans in ſummos Pontifices, in Ieſuitas, vt vocat, ac in cuiuſuis ordinis Catholicos. Nunquam exiſtimaſſem hominem humana doctrina non parùm imbutum, adeò modeſtiæ & humanitatis oblitum, vt libellos tam famoſos publicè ederet. Præſertim cùm ſatis intelligere potuerit legibus inteſtabiles eſſe, qui famoſos libellos ſcripſerint, & capitali pœna teneri qui repertos non corruperint. Ego verò omni miſſa Religionis ac fidei cauſa, non vt Catholicus non Catholicis, ſed vt Philoſophus Philoſophis, ſcripta mea contra vanitatem Alchymiæ, quæ nullo modo ad Religionem pertinent, obtuli. Nec tricis his prophanis, Religionem Sacram immiſcui, nec vlli Religionis cauſa infeſtum me præbui, nullam nationem offendi, ſed ſatis hoſtium me habere putaui, cum quibus congrederer & me exercerem, ſi inſanorũ Chymiſtarum portentoſis opinionibus occurrerem, aliud enim eſſe Alchymiam, aliud Religionem & fidem, ſatis memini. Et tamen iſte impuriſſimus tenebrio, ad

extremum doloris impatiens, etiam ex odio Religionis quam me hactenus coluisse gaudeo, non solùm me, sed summos Pontifices, Iesuitas, ac alios Catholicorum ordines impudentissimè criminari audet, & cœlos permiscere terris, & Sacra prophanis, & quod est hominis perfrictissimæ frontis, toti nationi Lotharingicæ se infestum præbere audet, ac conuicia in omnes bonos, etiam Principes viros, bacchantis more effundere, meliores se tanquam furijs agitatus rabiose exagitare. Tentans cordatos viros & innocentes, hominibus incautis exosos inuisósque reddere, vt hinc satis agnoscere possit æquus rerum æstimator, istam belluam, odio agi transuersum adeò, vt omnia proferat pro libidine, & ausu non solùm maligno & temerario, sed & diabolico, omnia vexationum genera moliatur in veritatis amatores, quos equidem amare non odio prosequi deberet, si modo in eo vel mica salis esset, vel si benedicere potiusquã maledicere didicisset. Sed quid hîc agas? iste tenebrio neque ius, neque bonum, neque æquum scit: melius, peius prosit, obsit, nihil videt iste Poliphemus nisi quod lubet. Eò transuersum adeò rapuerũt mali

affectus, vt non solùm Doctissimum Gretserum, ac alios Iesuitas, & Catholicos, quos à se & mendacijs suis maximè alienos esse sentit, more suo furenter exagitauerit mole librorũ dentatorum, aculeatorum, venenatorum, christatorum, sicariorum, & sanguinariorum, sed etiam insurrexerit in Collegiũ Parisiense Vniuersum, quòd Alchymiam damnauerit, famosissimis libris publicè editis, ac conuicia contumeliásque omnium ferè generum in hoc omnium celeberrimum euomuerit. Quod immane facinus non tulit Clarissimus Riolanus, sed fortiter restitit ignominiosis istius belluę famosis libris, dum vixit & rèsponsum quale oportuit edidit, ac maniam Libauij patefecit, & si superuixisset, erat additurus ad amplificandum & ornandum Libauij virtutes. Idem Doctissimus Gretserus, eiusdẽ Societatis Iesu insignis Theologus, (quem veluti in triumphum circumducere existimauit iste egregius imperator) audaciã eius & petulantiam ita compescuit, vt cristas imposterum erigere aduersus eum non valuerit. In libris enim pluribus contra ipsum nugatorem editis, quorum vni titulum præfixit Antimonium, alteri verò Bauium,

belluæ naturam & conditionem publicè descriptam, ridendam omnibus propinauit, ad sempiternam ipsius nugatoris infamiam, & ad necessariã bonorum cautionem. Huic impostori & laruatæ furiæ, larua detracta, & eius fraude detecta, vt agnosci liceat. Quo fit vt minus solicitus esse debeam, vtque mihi valdè laborandũ non sit, vt ostendam, quæcumque de meo libro, quem flagellat, mihi impingit, esse mera Sophismata & deliramenta. Iudicium enim tanti Collegij, tanti viri quanti est Riolanus, tanti athletæ quanti est Gretserus, & aliorum quorum sensus cum meis planè congruunt, & quorum auctoritate sum confirmatus, opponi poterit malignis ac sinistris nugigeruli susurris & putidis fabellis. Viro bono ac Philosopho nihil aliud est tam indignum, quàm calumniando simul ac differendo conuicijs non ratione disputare. Tamen iste magnus ardelio Philosophiæ ac Theologiæ professor, in eo sibi adeò placet, vt nullum scriptum extet aduersus aliquem, à quo de literarum & scientiarum rationibus dissentiat, in quo nomen ac dignitas asperrimis & acerbissimis verbis non perstringatur, nullum conuiciorum ge-

nus esse puto, quo (non dicam in Michelium, in Grammanū bonarū artium perniciem) in Doctissimum Gretserum, in Collegium celeberrimum Parisiense, in Riolanum Galliæ lumen, in me ipsum, non inuaserit. Ita vt nihil aliud sibi proposuisse videatur iste tenebrio, quàm omnem superiorū temporū conuiciandi acerbitatē, ac omnem mentiendi impudentiam vincere. His probris si in vera & iusta causa vsus esset: attamen boni viri nomē retinere non posset. Nunc in causa perdita & misera, cogitet secum qualis apud viros bonos habeatur, qui in famam alienam probris iniquissimis tam petulanter inuaserit. Quod ad me attinet ego sancta conscientia affirmo, ad hanc commentationem me inuitum pertractum esse, & ad hoc genus sermonis accessisse, ad quod tamen iusto dolore incitari potui. Sed cùm viris bonis fama sua debeat ipsa propè vita, esse charior, & crudelis sit (ait Cicero) qui famam negligit suam, ac cuiusque veritatis amatoris intersit, eos esse notos, qui ipsam veritatem temerè impugnant, vt ab ijs caueāt, & tales belluas, quæ ignotæ sæpè incautos fallunt, fugiant, non omnia dissimulare figmenta ac deliramenta

hominis potui, neque etiam debui. Verùm enim verò quamuis & facultas & materia mihi ſuperſit retaliare, veráſque & non fictas contumelias & conuicia inculcare, nondum tamen cõſtitui hominẽ mihi eſſe tam rigide tractandum, & ad illa ſua conuicia nihil impræſentia reſpondiſſem, nec ſecum, hoc eſt, cum homine verboſo, proteruo, ac perfrictæ frontis, & ad conuiciandum exercitatiſſimo, verbis cõtendiſſem, niſi reprimendam huius hominis ferociam & impudentiam ſenſiſſem. Extra cancellos tamen modeſtiæ egredi non conabor, nec minori modeſtia criminationes veſani Libauij refellã, calumniáſque refutabo, quàm ea quâ ipſemet Libauius alioqui vir (ſi dijs placet) temperatiſſimus, Collegium Medicorum Pariſienſe, Doctiſſimos Riolanum, Gretſerum, necnon alios clariſſimos viros refutandos eſſe duxit. Non me fugit quòd iſtius furiæ aliquot exciſa conuiciorum ac errorum capita, non ſecus atque in Hydra, totidem continuò renaſcentur, ſed ni tunc vixero, Deus aliquem poſt me fortaſſe ſuſcitabit qui non ſæcus ac Alcides in expugnanda Hydra, ita quoque verſabitur in expugnandis iſtius furiæ furijs,

vt noualis exurgi non poſſit. Cæterum & ſi non recuſem equos iudices, qui ad pauca reſpicientes facile' non enũcient, ſed tota lege perſpecta, vt arbitri non aduerſarii iudicent, ſuper rebus inter nos controuerſis: tamẽ ſummopere' deſidero, vt Libauius [quem & multis ingenij & doctrinæ donis Deus inſtruxit] non patiatur ſe tam turpiſſime' labi. Sed ſapientiorum dogmata inprimis maturius cum ijs quæ temere' quotidie effutit, conferat, & in quantis ijſque craſſiſſimis tenebris verſatꝰ ſit hactenus cognoſcat, ac tandem erroribus animaduerſis, ad ſapientiæ verę gremiũ ſummo cum bonorũ gaudio reuertatur, & valęre iuſſis Chymicis deliramẽtis à vanitate tranſeat ad veritatem, ita vt abiectis ijs quæ ab eo minus recte' & integrè tradita ſunt, ex Sophiſta ſapiens factus dicere quandoque valeat.

Dum lapidẽ quæris Lulli, quem querere nulli
Profuit, haud Lullus, ſed mihi nullus eris.

Et ſic imitabitur Steſichorum, qui dum Helenæ vituperationem ſcripſiſſet, ex eoque exoculatus fuiſſet, rurſus viſum recuperaſſe dicitur ob talẽ palinodiam.

Non verus sermo ille fuit, neq; nauibus altis
Existi fugiens, neque adisti pergama Troiæ.

Vereor tamen ne vnquàm cœcitatem suã agnoscat Libauius, ne vnquàm pertinaciam deponat, ne quantumuis probabiles, quantumuis firmæ, quantumuis certæ rationes, quantumuis graues sapientum auctoritates, de semel concepta sententia deducere possint. Vereor inquam, ne Antimonium Gretseri, ne eiusdem iteratũ Antimonium, ne scripta Riolani in Libauium ipsum sanare possint. Extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda, qualia sunt ferrum & ignis, quod enim non curat medicamentum, curat ferrum, quod non curat ferrum, curat ignis. Equidem censeo eiusmodi contentionis studium, ac mentis peruersitatem, aciẽ iudicij ita hebetare Libauij, ita mentis lumina obscurare, vt nihil sani intelligere, nihil æquum iudicare possit, & quantumuis errasse se sentiat, velit ille potiùs esse quod est, quàm laquæis errantium, & Alchymistarum quibus iacet irretit9, renunciare.

Quòd si cœcis affectibus nimium non indulgeret, equidem à dimittenda quam antea probauit sententia, pudor mi-

nimè deterreret, ratione & veritate eum conuincentibus. Quid enim vnicuique cordato viro, veritate potius? quid salute, quid communi vtilitate antiquius esse debet? ego quidem, quod non semel sum professus, magnorum virorū exemplo adductus, nunquàm erubescam sententiam mutare, errorem fateri ac deponere, quotiescunque id mihi videbor, cum ratione facere posse. Sicuti impræsentia, non inuitus fateor, me quoque ab hoc ipso errore, iamdiu alienum non fuisse. Fuit enim tempus illud, cum essem iunior, ac in rebus Philosophicis infirmior, per initia studiorum ausus fuerim disputare pro veritate Alchymiæ. Ac cùm valdè sapiens mihi ipsi viderer, illos scientiæ principes, Aristotelem, Galenum, ac vniuersum propè sapientiorum ordinem, nihil aut parū admodum sapere arbitrarer, præ Paracelso, ac similib⁹ hominib⁹ perditissimis, posteà verò quā in veræ Philosophiæ sacris initiatus, ac diuturno rerum vsu confirmatus sum, tandem firmior redditus, re accuratiùs considerata, & ad examen relata, mihi licuit resipiscere, & errorem deponere. Intellexi inquam, non in libris Chymicis, non in Chymicorum deliramentis,

ſed in ijs quos dixi veram ac ſolidar doctrinam poſitam eſſe. Eos autem qu Chymica deliramenta ſequuntur,in ma xima bonarum rerum ignoratione ver ſari. Sed ad alia demigrans, quam ol cauſam, in me, ſtylum diſtringere, ſib permiſerit Libauius, & qua de re, a conuiciandi libertatem, in me exercen dam compulſum ſe eſſe exiſtimauerit rem altiùs repetens, longiori oration dicere incipiam, ſi prius orauero æquiſ ſimos rerum eſtimatores, vt causā vtriuſ que noſtrum velint cognoſcere, & veri tatem ſufficienter iudicare: ac ſtatuere num iure, an potius iniuria, tam im menſa farragine conuiciorum tractatus ſum.

Omnes bonas artes, humano generi à Deo opt. max. diuinitus eſſe conceſſas, tanquam ad communis vitæ cōmoditatem, vſum, atque munia maximè neceſſarias adeò conſtat, vt qui id ambigat meritò exiſtimandus ſit, rectæ rationis beneficio deſtitui. Etenim ſine his nullum neque priuatum bonum, neque publicum, poſſet ſubſiſtere, ſed ſumma rerum confuſio, & horrenda Barbaries terræ faciem occuparet. Docent abundè nationes incultæ, atque ab omni huma-

nitate alienæ, vt hoc nostro sæculo Americanæ, quarũ indigenæ non aliter quàm bruta degunt sine legibus, sine Philosophia & rerum cognitione, sine vlla disciplina, ac vitæ legitima societate. Vt certissimè credendum sit Deum Opt. Max. nihil neque maius neque melius post integræ rationis vsum, & sui veram cognitionem, mortalium generi largitum esse, ipsis artibus. Cæterùm, tantis Dei donis superstitiosa curiositas hominum neutiquàm contenta, confinxit sibi in naturæ, ac ipsius propemodum diuinitatis contemptum, plures artes falsas, spurias, atq; adulterinas, inter quas, facilè primaria Alchymia, gloriosi quidem nominis & magnæ auctoritatis, speciosa quoque, & potens admodũ pelliciendi, & illaqueandi incautos in Nassam. Reuera autem, non solùm fructum nullum aut solatium adferens, sed cultores suos in specum ignorantiæ & tenebrarum, in abyssum miseriæ ac desperationis præcipitans. Vt autem de illa quæ corpus à morbis vindicare dicitur nihil nunc dicam, de qua suo loco ac tẽpore. Alchymiæ, quæ circa metallorum transmutationem versatur, (de qua institutus est nobis hîc Tractatus) apud sui admiratores existimatio

tanta eſt, vt omnibus in vniuerſum artibus anteferatur. Hæ ſiquidem cùm infima, & humilia tractent, illa circa tam grandia verſatur, promittendo tot tantáque commoda, & ſui ſtudioſos non vulgaribus tantùm, ſed tam amplis & prȩclaris donis ornãdo, vt nihil omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius Alchymia, ſi vera, & ſi tantorum commodorum mater eſſet, prout ſcripti de ea libri teſtantur. Quis enim omnibus quæ in mundo ſunt rebus, non prȩferret rem, quâ, quis poſſit non ſolùm inopiam ſubleuare, & ſe humo tollere, ſed diuitias immenſas ſibi parare, vnde omnia quæ auro & argento parantur haberi poſſint, morbi verò propelli & ſanitas conſeruari? nihil profectò poſt legem diuinam, in qua eſt ſalus animæ à ſummo Deo in hoc mundo, homini collatum eſſe poſſet magnificentius, aut ſublimius ipſa Alchymia. Quæ potiſſimum duo ipſa complectitur. Nam promittit puluerem quendam ſiue medicinam, ſiue Elixir vel lapidẽ, quem Philoſophorum appellant, qui propagari poſſit in infinitum, & poteſtatem habeat non ſolùm mȩtalla vilia, confeſtim in aurum vel

argentum transmutandi, sed (quod plus est) corpus humanum infirmum restituendi, & ad verum temperamentum reuocandi, & sanum ad terminum à Deo præfixum in sanitate conseruandi. Quæ ego apud me perpendens, cùm à prima ætate optimis disciplinis ac humanioribus literis essem institutus, ac naturæ & artis arcanorum indagandorum studio, flagrarem, & cupiditate arderem incredibili, ad rerũ etiam Chymicarum studium, animum adiunxi, huncque benedictum lapidem tantorum commodorum parentem mihi imprimis quærendum, & totis viribus inuestigandum esse duxi, ac eius notitiam omnibus cæteris rebus prætuli, vt non solùm mihi, parentibus, cognatis & amicis, auro & àrgento subuenire possem, sed etiam vt remedia ad omnes tollendos morbos, & ad sanitatem conseruandam mihi compararem. Cùm enim insignes artifices, antiquitatem, & primos auctores inquirerem, recitabat mihi hæc ars, non solum Hermetem Trismegistum, Sibyllas, sed & multos magni nominis Arabes, Græcos, Ægyptios atque Chaldæos, ipsumque Moysen, ac Mariam sororem eius, ac mundi primarios ab origine pa-

tres, hac via medentes quasi miraculosè, incurabiles morbos, interdum propulsasse, derelictos ægrotos incolumitati restituisse, sanitatem conseruasse, & diuitias immensas sibi parasse. Hæc me quoque blanditiis quondam alliciens, vt dixi, summo studio inuestigandam omníque labore quærendam esse, mihi proposui. Et ideò iam inde à prima adolescẽtia, in numeros qui ad hanc vtramque exornandam assiduam suam conferebant operam, & laborem, manũque admouebãt, ac exercitio ei⁹ sese oblectabant, varijs in regionibus conueni, bonam partem primæ ætatis cum ijs absumpsi, & cùm variæ essent operationes Chymicæ, quibus Alchymia vtitur, vt calcinatio, digestio, fermentatio, distillatio, circulatio, sublimatio, fixatio, &c. in his nactus sum præceptorẽ optimum, & rerum Chymicarum vsu longo exercitatissimum, Sebastianum Manzonum de Asola Brixiana, quem virum nonagenarium excellẽtia ingenij, longissima rerum Chymicarum, ac aliarũ pulcherrimarum experientia, primùm cõmendauerãt Pio quarto, & Pio quinto summis Pontificibus, vt in honore apud eos esset ac pretio, & posteà apud Sereniss.

Cosmum

Coſmum, & deinde Franciſcum, magnos Hetruriæ Duces, apud quos in eam venit opinionem & admirationem, vt ad officinā, quæ Florentiæ, in Caſino Principis erat, exornandam, ac quintis eſſentijs, ac alijs magnalibus quæ ad Medicinam ſecretiorem pertinerent expoliendā adhiberetur, & ijs præficeretur, vti iudex ijs qui circa metallorum tranſmutationes in eodem loco verſarentur, quanquam huius Alchymiæ acerrimus hoſtis eſſet. Vt qui tandem in decrepita ætate deprehendiſſet toxicum, & offendiſſet fucum & phaleras tenebraſque & mendacia; in ea enim per ſexaginta annos multùm operæ & laboris fruſtrà collocauerat, idquè plurium Magnatum incredibilibus impenſis. Atque vtinam viro huic egregio ſtatim credidiſſem, equidem Alchymiæ tranſmutatoriæ, à qua me vehementer dehortabatur, nunquàm operam dediſſem. Huius tamen viri adhortatione, me fecerunt, & ſua & aliena pericula cautiorem. Ita vt ego geſtiens deguſtare blandum illud ac delicioſum poculum lapidis Philoſophorum, cautior vitauerim inſidioſam illam temulentiam, & me intra limites meliùs continuerim. Cùm igitur in ea ætate

mihi cõtigiſſet artis, cui me deuoueram, tam peritum, tamque abſolutum & excellentem artificẽ comparare, quo auſpice ad abdita quæque & cuiuis minimè peruia Alchymiæ myſteria, facilem mihi aditum patere putarẽ, omne genus ſcriptorum, rerum præſertim Chymicarum, euoluere cœpi, & quam ſummi viri operam in euoluendis libris à profeſſione alienis, ſuccisiuis horis collocarunt in huiuſce rei ſtudium, eandem operam aliquando impendi. Verùm cùm ab illo ſtudio me reuocarent, retraheréntq ue plerumque à ſuſcepto itinere, quòd vel minimum progreſſus, offenderem, campum illum vbique horridum, & aditum vepribus & ſpinis obſitum, à quibus me expedire minime poſſem, alios quã plurimos homines multiſcios, & qui Alchymiæ intima arcana callere præ cæteris putabantur, coramque Magnatibus in admiratione erant, audiui, & cõſului. Multáque, quæ apud ipſos Magnates ac Principes viros, qui Alchymiam decepti, excolebant, & metallificium inueſtigandum curabant, tentata fuerunt, tam in Gallia, Germania, quàm in Hiſpania, & Italia curioſè inueſtigaui. Præſertim quæ apud prænominatos Coſmum & Fran-

ciſcum magnos Hetruriæ Duces, quorum poſteriori eram inſinuatus, opera prænominati Manzoni, qui tanquàm arbiter & Iudex, vt dixi, præſidebat Alchymiſtis, qui maximorũ promiſſorum ampullis in Caſino vocato, alebantur, & operabantur, ac rebus pluribus alijs curioſis vacabant, ſumptibus & impenſis ipſius magni Ducis rerum abditarum ſitientiſſimi.

Nec pauca etiam vidi & curioſè inueſtigaui eo toto tempore, quo in aliquo honore fui apud Farneſios Principes, quibus operam medicam aliquãdo contuli. Multa etiam vidi & inueſtigaui quæ Chymica agerentur apud Cardinalem Granuellanum, & dum Romæ commoraretur, & dum Neapoli Prorex exiſteret. Circa enim Alchymiam & alia artificia curioſa, ad delectationem non leuiter occupabatur. Nec eſt quod prætercam Alchymiſtarum principem Altouitum, Archiepiſcopũ Florẽtinum, virum certè & in rebus Chymicis exercitatiſſimum, & curioſorum amantiſſimum. Vt qui in Alchymia, quæ circa metallorum tranſmutationem verſatur, expendiſſe (licet fruſtrà) ferebatur vltra ſummã centum millium aureorũ; apud quem ſummum

virum tempore Pij quinti, multa vidi, & ab eo de me benemerito plurima audiui. Quemadmodum & apud Cardinalem Estensem, apud Gonsaluum Suessanum Ducem, virum maximum, & cui insinuatus sum opera summi mathematici Francisci Vernalionis Neapoli, anno 1571. Vidi etiam & hausi multa ex ijs, qui cum illo Angelo Siculo impostorum maximo laborabant apud Illustriss. Ioan. Iac. Boncompagnum, qui tandem cognitis dicti Angeli imposturis, ipsum post longos carceres expulsit. Denique infinita ab infinitis hominibus Alchymiæ deditis, qui & domibus Magnatum ac potentum alebantur, ac magnis præmijs fouebantur, passim tentata vidi & audiui; vt silentio prætercam Ioannem Baptistam Portam Neapolitanum, ac Vincentium eius fratrem, viros rerum abditarum perscrutatores & indagatores accerrimos, mihi ab hinc annis ferè quadraginta cognitos, & amicissimos, & quorum familiaritate multis annis frui mihi licuit, dum Neapoli commorarer; vt & Hieronymi Fagioli, Alchymiæ ita dediti, vt Bibliothecam librorum Alchymiæ constructam haberet, in qua omne genus librorum etiam rariorum reperiebantur tam im-

pressorum, quàm manuscriptorum, quorum liberali communicatione me ita adiuuit, vt etiam eius permissu plura describi curauerim, quos adhuc penes me habeo ignibus quandoque tradendos. Fateor etiam me non pauca & visu & auditione & lectione accepisse in omnibus Prouincijs Sanctæ Sedi Apostolicæ mediatè & immediatè subiectis, quibus in re Medica bis præfui, annis scilicet 1578. & 79. à Romano Medicorum Collegio electus, & à summo Pontifice comprobatus. In quibus Prouincijs apud multos egregios viros, etiam quibus Lacinius famosissimus ille Alchymista (qui de thesauro ac pretiosissimo Philosophorum lapide, pretiosam margaritā edidit) operum suā frustrà longo tēpore locauerat, multa vidi & hausi. Itaque cùm non paucos annos me detinuisset Alchymia, tam theorica quàm practica, longóque temporis defluxu dies, noctésque id egissem, atque in eo totus fuissem, vt veram aliquam & solidam Alchymiæ cognitionem adipisci possem, atque ideò in scrutandis & conquirendis libris, remotissimis quibúsque orbis partibus petitis, nullis laboribus, nec sumptuū impensis parcerem, ac multos consuluissem, vt

quæ indefatigato ſtudio diuturnáque experientia congeſſerant, & in Alchymia obſeruauerant, mihi conſtarent. Et cùm ſuis Labyrinthis & experiẽtiæ falſis illecebris me ineſcaſſet impoſtorũ maximus Paracelſus, huiúſq; libros multos Germanicos mihi accumulaſſẽ, ac ſumptibꝰ & liberalitate Illuſtriſſ. Othonis Truchſes Cardinalis Auguſtani in latinã linguam verti curauiſſem, tandem iam principia quædam ſanitatis ſentire cœpi. Maximè perſpiciens ne vnum quidẽ è decem millibus qui Alchimica tractabant, propoſitum ſibi finem conſequi. Tandem cùm ad antidotũ ex veris Philoſophicis rationibus & experientia depromptam confugiſſem, ea aſſumpta, deprehendi toxicum, & velut è ſomno experrectus, non talem Alchymiam reperi, qualem ante imaginabar, & ornatꝰ loco, offendi fucum & phaleras, ſplendoriſq; ac veritatis loco tenebras ac mendacia. Quare ego qui antea diſputare auderem pro veritate Alchymiæ, in progreſſu ſtudiorũ in melius mutato conſilio, intempeſtiuã audaciam temperaui, ab ea ſapiẽtia quæ hauritur, cum ex Philoſophia naturali, & ſacris Scripturis, tum ex diligenti & aſſidua rerum perſcrutatione, & hominum

Doctorum consortio & exhortatione, à quibus omnib⁹ sumpto Pharmaco, rem ipsam accuratiùs expendens, & libros contra Alchymiam editos diligentiùs legens & expendens, reperi Alchymiam à primis auctorib⁹ Idololatris excogitatã, ac paulatim coli cœptam, posteà verò temporis tractu, ad quæstum & inanem gloriam, mille commentis ab impostoribus contextam, & ad hæc vsque tempora nostra deriuatam. Chymiæ enim scriptores & impostores, apud quos Alchymia erat, vel in quæstu, vel in errore, vel ambitione, vel gratia posita, ea protulerunt, quorũ nullã certam causam & rationẽ tenerẽt: inde multi Sophistarum fraude & speciosis verbis argumẽtísque Sophisticis illusi, seu chartis & schedis nebulonum & sycophantarũ auaritia & dolo confectis seducti, qui libris Aristotelis, ac summorũ aliorum Philosophorum ad literam & superficiè tenus intellectis, vel saltem dissimulatis sententijs, paucis ac verbis quibusdam à vero Philosophorum sensu, perperam & violenter detortis, vel detrũcatis, & suis intentionibus ac phãtasijs applicitis, contenti, verum nucleum eruere non curarunt. Ideòque consultò obscuritatem affecta-

uerunt, nunc ordinem inuertendo, nunc addendo, nunc minuẽdo, illámque per ænigmata, tropos ſeu figuras, allegorias, & ſimilitudines ſic auxerunt, vt etiamſi Alchymia vera eſſet, Theſei filo opus haberet, qui ſe inextricabilibus huius Labyrinthi ambagibus educi deſideraret. Nec alio conſilio Chymerica & fabuloſa, quæ in mentem venerunt & cogitarunt tanquam myſteria, Amphibologijs, & Ænigmatibus contigerunt, integumentis multis & inuolucris implicata enunciarunt, niſi vt veluti dictionibus ambiguis, homines ab Sathana miſerrimè olim decipiebantur, ſic & ipſi miſerum mortale genus, nunc ludificarent, viam potius obſtruendo rebus inueniendis, quàm aperiendo. Quæ omnia dum animaduerterem, grauitérque in ea re peccari viderem, ab ijs etiam quibus concreditæ eſſent bonæ literæ: & quamplurimos adeò obſtinato animo in eum ferri errorem, vt niſi proſpiceretur, periculum eſſet, ne ſerpente diutius malo, vera Philoſophandi ratio corrueret, obrueretq; maximos iſta procella viros. Eius mali impetum coercẽdum eſſe exiſtimaui, eiuſque curſum intercipiendũ, oppoſito rationũ vallo & adhi-

bitis demonſtrationum propugnaculis, quibus eiuſmodi homines ab eo errore ad veritatem, & ad veram Philoſophādi rationem reuocarentur.

Itaque miſertus Alchymiſtarum labores ac inutiles operas, aliquid opis conferendum, iuſtum & ex meo officio eſſe exiſtimaui. Quò curſum nauigationis inſtitutæ ad optatum finem non poſſe eos dirigere, intelligerent. Et vt nimiùm curioſos à dogmatibus Chymiſticæ peruerſitatis perquirendis auerterem, ac errores & fabularum monſtra, quibus Chymici libri refertiſſimi ſunt, & ante annos ſexcentos inſpirata à ſpiritu erroris peruerſiſſimis hominibus oſtēderem. Ab hinc igitur aliquot annos ex proprio penu, deprompſi quædam, quæ iam olim adumbraueram, eamque ſub incudem reuocaui, ac in lucem protuli breuem quendam tractatum, aduerſus Alchymiæ vanitatem, qui veluti præludium erat aliquod, veri iuſtique laboris, quem apparabam, & qui paulò mox ſequuturus erat, in quo breuiter oſtendebam Alchymiam, quæ circa metallorum tranſmutationem verſatur, eſſe impoſſibilem, eámque nunquàm in rerum natura fuiſſe. Non me latebat pleroſquè

doctissimos viros aliquãdo contra hanc vanitatem scripsisse, & quidem multis & veris rationibus refutasse falsam artem. At cùm eorum libros legerem ac exactiore aliquãdo trutina examinarem, & quæ pro Alchymia scripta sunt, cum ijs quæ contra conferrem, comperi neque omnes omnia comprehendisse, neque ad amussim elaborauisse singula quæ contra Alchymiam attulissent, ac afferre potuissent, sed summa fastigia tantùm delibauisse. Quin præcipuos eorum volentes nolentes in ea incidisse, quæ potius Alchymiam metallorum transmutatoriam de non esse ad esse proferrent, quàm eius fundamenta destruerent, vt alibi ostendimus. Cuius rei culpam non tam in ipsos scientissimos alioqui viros, & de humano genere, ac re literaria benè meritos, quàm in rei de qua scribebant ignorationem & difficultatem, semper reijciendam putaui. Non enim Alchymiam exercuerant, non tantos profectus in Chymicis operationibus, ac experimentis fecerant, quantos ad huius vanitatis refutationem oportuit. Quanquam enim quilibet Philosophiæ non ignarus possit veris rationibus falsam artẽ quam non exercuerit quandoque refellere, nec

oporteat eum exercuiſſe & didiciſſe Alchymiam, ſi veris rationibus eam rectè refutare velit, tamen certum eſt neminem rectè poſſe refutare experientias falſas & ſuppoſititias, quas pro confirmatione ſuæ vanitatis adferunt Alchymiſtæ, niſi is qui operationes Chymicas didicerit ac exercuerit, libróſque, quorum auctoritatibus ad Alchymiã confirmandam vtuntur, falſos eſſe & ſuppoſititios oſtenderit; in qua re cùm non inueniatur qui ſatisfaciat, clariùs & diffuſiùs ea interprætari, volui quæ ab alijs nondum fuerãt ſatis explicata. Adde quòd quemadmodum nulla ars eodem tempore & inuenta ſimul eſt, & abſoluta, ſed omnes humili tenuíque ab initio profectæ, paulatim quaſi per gradus aſcendentes, ad id quod ſummum videtur eſſe, peruenerunt: ſiç & in Alchymia refutanda vix fieri potuit, quin multa vtilia fuerint prętermiſſa. Accedit quòd cùm hæc præclara Chymica comparentur ſomnijs & anilibus fabulis, ac contineant mendacia tam obeſa, vt vel manibus contrectari poſſint, ijs refutandis nemo ex doctis, magnoperè laborauit, ne non minùs delirare viderentur quàm ipſi Chymiſtæ.

Hunc igitur laborem ſuſceperam, vt

tandem in triuio positi, dubium ampliùs non haberent, sed agnoscerent, quà sit vergendum, & vt serò nimis confunderentur infœlices Alchymistæ, vel reuerterentur ad veritatem, conspicientes quanta cœcitas contigerit inter eos, qui spreta vera doctrina, à veris & Philosophicis rationibus se abstrahi passi sunt, & in ignorantia miserrimè detineri. Nec alio sanè animo tractatum contra Alchymistas in vulgus manúsque hominum, emanari passus fueram, quàm vt gustum aliquem, compendio prolixioris & laboriosoris operis, (quod hisce de rebus præ manibus, vt dixi, habebam) veritatis amatoribus opportunè exhiberem, vt quæ tandem essent doctorum iudicia cognoscerem, vt si doctiorum applausum & fauorem comperissem, ex instructissimo penu ijsdem veritatis amatoribus, depromerem quæcunque ad Alchymię vanitatem auerruncandam pertinere viderētur. Cùm igitur tractatus meus contra Alchymiam in lucem prodiisset, (licet opificum qui excuderunt incuriâ, infinitis mendis defœdatus) eiúsque exemplaria ad aliquos magni nominis viros misissem, rogassémq; vt postquam libellum perlegissent, iudicium suum

mihi non denegarent: vt ſi quid vſquàm peccaſſe oſtenderent, agerem ijs meritò gratias; & ipſe poſterioribus ſcriptis, ex prioribus peccata retractarem, euenit vt omnes vnanimiter tractatum valdè probarent, & per literas non ſolùm commendarent, ſed etiam hortatu & præcibus quaſi ſtimulis ad perficiendum maius opus, & id ad publicam vtilitatem edendum, incitarent, ac vehementer vrgerent. Inter quos non poſtremi fuerunt duo magni nominis, quorum primus Clariſſimus de Laurens, Francorum Regis Chriſtianiſſimi Archiater, ac Medicinæ illuſtrator celeberrimus, in quo virtutes omnes ita reſpondebant, dum viueret, vt nemo omnium Doctorum humanitate ſpectatior, nemo generoſis moribus ornatior, aut ſplendidior, nemo optimis doctrinis clarior, ſermone vel celebretur magis, vel in maiori apud omnes exiſtimatione habeatur. Alter verò D. Lormæus, tunc Sereniſſimi Cardinalis Lotharingi Medicus primarius, & Conſiliarius, nunc autem Reginæ Galliarum Archiater. A quibus tantis viris, & ſi viderē mihi tantum tribui, quantum ſi vel omniū ambitioſiſſimus eſſem, non agnoſcerē; non parùm tamē gauiſus ſum

ab ijs laudari, qui ipsi in laude viuerent. Itaque & si pluribus negotijs essem tunc impeditus, ac ægris curandis, negotiisq; alijs, ita occupatus, vt vix otiũ vllũ scriptioni suppeditare valerem, & idipsum quod ocij daretur, libenti9 in alijs quàm in figmentis & fabulis Chymisticis confutandis consumere maluissem: tamen tantorum virorum hortatu impulsus, alijs lucubrationibus quas præ manibus habebã, in magis opportunũ tempus dilatis, opusculũ iam editum (alioqui erroribus opificum qui excuderũt, vt dixi, totum scatens) repolire, & multis locis castigatius reddere satagebam; ac ea omnia quæ in dicto libello paulò pressiùs dixeram, ex angustis illis verborum septis, in latiores veluti campos deducebam, addito etiam tractatu alio de præstigijs Chymicis. Dum ecce tibi significatum per literas Nobilis & Reuerendi Domini, D. Caroli Mamburgi, Sacræ Theologię Baccalaurei formati, Iurísque Canonici Doctoris, Protonotarij Apostolici, Cathedralisque Ecclesiæ Tul. Canonici, & Illustriss. Episcopi Consiliarii, Andream Libauium, Alchymiæ patronum, opusculum meum demoliri aggressum esse, idque per catalogos nun-

dinarum Francofurtensium constare, id cùm rescissem tantisperdum mihi subsistendũ existimaui, donec ad manus meas peruenisset liber tanti athletæ, qui tam multis libris editis bellum indixerat, non solùm Doctissimis Medicis, & Philosophis sed etiam summis Theologis, & alijs viris in literis claris, personam induens Medici, Philosophi, Theologi, Alchymistæ, Poetæ Laureati, Gymnasiarchæ, Directoris, in summa magni Ardelionis.

Seposui igitur opus quod absoluebam, & distuli editionem, hoc potissimũ consilio, vt perlecto opere tanti Ardelionis, emendarem ex illo si quæ reprehensione digna inuenissem. Cùm igitur librum Libauij diu auidè expectassem, constitutus in angulo Galliæ, vbi præter infœlicissimos sacculos litigantium, & sordidulos contractus, rabularúmq; cautelas, nihil inuenias laudabilium studiorum, vbi summa virtus in censu, gloria in alienas opes inuasio & occupatio. Tandem librum accepi mihi missum à Simone San-martello Bibliopola, ac ciue Tullen. Acceptũ statim legendum sumo. Hominem natura iracundum, ac petulantem cõperio, Sophisticam aduersum me disputationem instituisse, non re-

prehēdere factum modeste', sed exagitare quàm virulētissimè, ipsum quandam sapientiæ speciem ostentantem fallacijs, ac quibusdā Sophisticis conclusiunculis, fastu, arrogantia, & impudentia intolerabili, ac creberrimis conuitijs & contumelijs, potiùs quàm cum meis rationibus alijs probabilioribꝰ pugnare, mea verba passim inuertere, & quæ in mentem nunquam venerant, affingere, sententias meas alio modo interpretari, vt illas possit euertere, alium causæ statum fingere, de quo non agitur, & eam cōtrouersiā de qua quæstio verteretur astute' dissimulare, ita vt non facilè appareat, vtrum rem seriam agat, an iocetur, tam impudenter res manifeste' veras calumniatur. Et vbi scit nullam esse controuersiam, malitiose' velle & audere alijs persuadere esse maximā. Irritatus fuit ac tam moleste' & grauiter, quàm quod molestissimè & grauissime' tulit, ipse tenebrio quòd eum nominatim in meo tractatu nugigerulum appellauerim. De qua re passim conqueritur in dicto opere quod aduersum me eructauit, nec ferendum putat quòd Alchymistas nominauerim tenebriones.

Et quia, ne minimam quidem suspicionem,

cionem, apud quempiam, ſubeſſe velim, quòd Libauium, gratis impugnauerim, vel aliqua iniuria, vel contumelia affecerim; placet hoc quoque publicè proteſtari, me nihil vnquam cogitaſſe aut ſcripſiſſe nominatim, in quenquam, quod vel calumniæ, vel contumeliæ nomen mereretur. Benè verum eſt quòd cùm plures libros Libauij legiſſem, ac animaduertiſſem portenta opinionum, in quæ præceps ruit, ſubinde errore mentis actus, exhorrui, tam alienum à veritate eſſe hominem, alioquin literis (ſi ijs benè vti mallet) non mediocriter imbutum, vt tot tantáque deliramenta ac mendacia ſcriberet. Quo enim maior erat doctrina ac auctoritas Libauij, tanto magis ne falleret & mentiretur cauendum fuit.

Et ideò cùm deprehendiſſem nihíl tam ineptum, abſurdum, & ab omni veritate alienum dici poſſe, quod non dicatur, & pro vera aſſeratur à Libauio, non potui, quin veritatis amator, indignarer, & quodammodo commouerer in eum, qui tot, tantáque mendacia, eáque de rebus haud parui momẽti protulit, cum graui damno reipublicæ literariæ, ac præiudicio animarum. Illud certè ad

ſempiternam memoriam teſtatum relinquo, quas finxit quidam fabulator Amadiſi fabulas, non minus veras ac probabiles eſſe, quàm omnia ferè ſcripta Libauij, quæ in manus meas peruenerunt. Cui igitur quæſo nihil aliud quàm veritatem ſectanti, ſtomachum non mouerent, tot tantáque figmenta! nonne vir bonus & veritatis amator offenditur mendacijs, etiam minimis de rebus? at totus omnis generis mendacijs, delirijs, ac figmentis maximi momenti, ſcatet Libauius. Vnde acriter ac vehementer pugnans cum Alchymiſtarum mendacijs, eos generatim tenebriones, Libauium nominatim nugigerulum appellaui. Quod tantum à conuicio abeſſe puto, vt nihil dici poſſe mitius, nihil verius de homine putauerim, qui tot nugas, qui tot mendacia effuderit, quot in æthere ſydera lucent. Ergo qui Libauiũ ſexcenta deliramenta & mendacia ſcribentem, coarguerit, & nugigerulum appellauerit eum qui tot nugas & vana circumfert, is conuiciator erit? Ecquem igitur Libauium ipſum appellabim⁹, qui nihil aliud ferè vbique agit, quàm alios alienáque vituperare? faciat hoc verbulo à me offenſum fuiſſe, an id mihi in illum ſemel

non licuiſſet, quod ille ſibi in Collegium celeberrimum Pariſienſe, in tot alios doctiſſimos viros, acerbius quàm par eſt, licere ſemper voluit? Equidem debuit Libauius, ſi vir bonus fuit, Alchymiam ſuam non fictis authorum quorumlibet ſententijs, ſed demonſtratione & veris rationibus confirmare, non congeſtis falſis experimentis, ſed nihil aliud quàm quod exploratum, palam aſſerere. In qua re cùm plures etiam Ethnici laudem meruerint, Galenus tamen palmarium obtinuit, qui vſque adeò veritatis amator fuit, vt ne ſummũ quidem aduerſarium falſa narratione lædere, nihílque quod exploratum non haberet palam aſſerere auſus ſit, vt indicio Theſſalli patet, & ipſemet ſcriptum reliquit, experientiam normæ vitæ ſemper habendã eſſe eorum quæ excogitaueris: nec ſcribendum pro vtili quicquam eſſe quod non ſis expertus: niſi tamen hoc ipſum teſteris, non eſſe tibi adhuc expertum, & Libauio cui ne dubium quidem aſſerendum fuit, non erit turpiſſimum, mendacem conuinci? qui perſonam gerit Chriſtiani reformati, Philoſophi, Medici, Theologi, Alchymiſtæ, Poetæ laureati, & ſi quid aliud.

Quantum autem abſit Libauius à Phi-

losophico ingenio, à vero Christiano, palam demõstrabitur, cùm scatere illum fabulosissimis narrationibus & asseuerare quæ nullam habeant rationem, & pugnantia dicere, & seipsum euertere ostendemus. Quæ ita me Deus amet, à viro bono alienissima, & diuersissima à Philosopho sunt, & à vero Christiano, qui carere debent, & crimine mendacij, & criminis suspicione, & quorum maximè proprium est nihil credere, nihil affirmare, quod vel euidentia, vel ratione demonstrari non possit. Multis in locis scribit Libauius, nihil in suis libris abs se prodi quod expertus ipse non sit. Sexcentas tamen res incertas & falsas, pro certis & sibi compertis alijs persuadere vult, vt ostendat Alchymiæ vanitatem, non esse vanitatem, si hæc malitia non est, si hoc non est nugari, quid malitia sit, quid nugari nescio. Quod si falsum, vanum, & mendacissimum in tot tantísque deprehendimus Libauium, quid plus debeamus putare fidei adhibendum eius nugamentis, cùm de Alchymia & alijs sermocinatur? cum eadem fide & vanitate effutit quæcumque simul & aspergit conuitia, & accumulat famosus conuiciator? profectò si totam Libauij defen-

ſionem Alchymiæ, quam aduerſum me edidit, quis ſaniori iudicio conſiderabit, facilè iudicabit, hunc nugatorem lingua, quàm mente potentiorem eſſe, nec diſſimilem ijs qui aliquo animi affectu irarum odij-ve perciti ac perturbati, in hoſtem ita præcipites feruntur, vt quaſi amentes atque occœcati, aut offendicula pedibus obiecta non videant, aut ictus aduerſos incauti excipiant, aut ipſi etiam ſeipſos confodiant. Hæc enim illi omnia contigiſſe facilè videre poterit, quicunque voluerit vtriuſque diſputationis ſeriem, ac vim, æquo animo perpendere, ac diiudicare; animaduertet enim facilè quiuis æquus rerũ æſtimator, Libauium, morbo animi magis quàm iudicio, & petulantia vti, & turpiſſima impudentia & fingendi mentiendíque effrænata libidine contumelias, calumnias, figmenta, mihi viríſq; alijs bonis, exprobrare. Quæ cùm minimè probata fuerint, in eius caput ſunt recaſura. Cõuiciator hic omnia inuoluit ſcommatis, ſannis, irriſionibus, maledictis, & mendacijs, vt ſcurram potiùs quàm defenſorem Alchymiæ reperias. Notari licet tot integumenta & inuolucra, tot obſcura, dubia, pugnantia, mera mendacia, tot nugas, nænias, ſtultas

interpretationes, tot absurdas repręhensiones, tantam inconstantiam in affirmando, ac negando, tot præter propositum dicta, tot adiecta, in quibus insistit, non ad subiectã rem pertinentia, vt hæc tædio potiùs quàm voluptate lectorem afficere credendum sit, in legendo hanc Alchymiæ defensionem: accessit quòd & si vbique me repręhendat, & solus omnia scire & intelligere præsumat, eorum tamen quæ sunt in meo tractatu se perpauca intellexisse, dictis & factis declarat, adeò mens eius, contradicendi studio flagrans, & nimio morbo repræhendendi, offuscata est. Profectò lectoris patientia, & otio, & tempore abuterer, si operosius commemorare tentarem, tot insulsas hominis nugas, ac deliria: non opus est pluribus verbis ad ea amplificanda, quia ipsa se satis amplificant. Sexcenta huius tenebrionis vitia, errores, ac deliramẽta cõplexus est, inter alios viros eruditissimos, Doctissimus, ac Modestissimus Gretserus, Societatis Iesu summus Theolog⁹. Is enim in pluribus libris editis in Libauiũ, eum adeò exornatũ adeò depexũ dedit, vt in memoria æterna fuerit Libauius. Gretserus enim tum alibi, tum præcipuè in libro qui Antimo-

nium inſcribitur, ſuis coloribus depingens eum, quantos fumos mundo vendat longiori oratione demonſtrauit, quæ in pauca contraham. Libauius qui hactenus malus Grammaticus, Poeta triuialis, Medicus non melior, & Alchymiſta infœlix, nunc repentino afflatu ex antro Smellenio Theologus nobis factus, prædicantium Hyperaſpiſtes, propugnatórque prodijt, ea Metamorphoſi qua ſolent iſti confeſtim, è cerdonibus in prædicantes, & rurſus ex prædicantibus in cerdones mutari, quem non multæ literæ, ſed furnuli Alchymiſtici, ad quos perpetuò ſeſſitat, inſanum reddiderunt, falcem ſuam Alchymiſticam in meſſem Theologicam Alchymiſticè prorſus, hoc eſt, (vt interpretatur ipſe Gretſerus) Sycophanticè, & impoſtoriè immittens, ita meſſuit vt ſi ab inferis reditus concederetur, exiſtimare poſſes reuixiſſe Blandratam, aut alium ex illorũ Medicorum numero, qui Quinto Euangelio eximiam operam nauarunt: potiſſimũ in Tranſiluania & Polonia. Hic Ardelio nominis ſui oblitus ſe Baſilium de Varna nominans, edidit (inter alia peſtifera opuſcula) Analyſin colloquij Ratiſbonenſis, quæ Analyſi rectiſſimè reſolui poſſet in

quatuor hæc principia, in inſcitiam pluſquàm Aſininam: in mendacia pluſquàm humana: in calumnias & criminationes plane diabolicas, & demùm in contradictiones inconſtantiſſimas &c. ſed omnia perſequi vanum foret.

Nam qui ita comparatus eſt, vt ex Antimonio quod inſanienti Chymico parauit Gretſerus, Alchymiſtæ huius genium non agnoſcat, is veritatis odio cœcus, ne ex quatuor quidem inſcitiarum, mendaciorum, calumniarum, & cōtradictionum Chiliadibus (quas conficere prope nullius laboris eſſet) hominem agnoſceret. In deſcriptione enim Libauij quam facit Gretſerus in Antimonio, ipſe Soleciſta & Alchymiſta pingitur inſaniens, delirans, fatuus, ineptus, inſcius, cœcus, vel potiùs non videns, furens, laruatus, ſtupidus, mendax, conuiciator, calumniator, impudens, fraudulētus, benemeritus de Iuda Iſcariote, Donatiſta, & Vuicleuiſta, nihil extrà Scripturam credens, à prædicantibus diſſidens, nouum controuerſiarum iudicem fingens, necnon & paradoxa monſtruoſa, conuiciator in Ieſuitas, delirè & inſcite ſacram Scripturam citans, & ex ea argumentans, faciens Apoſtolos Hæ-

reticos, Conciliorum authoritatem infringens, in ſoluendis ſyllogiſmis minimè expeditus, non bonus Dialecticus, ſuper omnes ſe efferens Prædicantes. In ſumma ita ornat Gretſerus, Libauium, ex ſuis virtutibus, in Antimonio (vt reliquos libros taceam) vt ſi omnia encomia, quæ de Libauio prædicat, quæque valde cum ſua natura & moribus concordant, collata & coaceruata eſſent, vehendis illis non ſufficeret Aſinus. Omitto & alia quæ de illo ſcribit & Gretſerus in alijs locis, & Martinus del Rio, Clariſſimus Riolanus, & alij ſummi viri, & veritatis amantiſſimi, quorum iudicio nullus viuit hodie arrogantior Libauio, nullus vanior, nullus improbior, qui tanquam dehoneſtamentum, Philoſophorum, Medicorum, Theologorum, & lerna malorum, cum nullo pacem colere poteſt, cum probis & doctis viris, non ſolùm graues exercet inimicitias, ſed etiam cum ſui ſimilibus Alchymiæ patronis. Indicio ſit Clauæus qui quòd ad arbitrium Libauij non defenderit Alchymiam horribiliter flagellatur. Huius igitur morboſi pecoris curationem tentare Helleboro nigro cùm ſtatuiſſet Gretſerus, diſſuaſit Clariſſimus Academiæ

Ingolstadiẽsis Medicus, Antimoniumq́; purum putum suasit, addens Cinislonem istum & Carboniperdã, non modò non esse sanabilem tribus Anticyris, sed ne omni quidem veratro, quod vnquàm vsquàm natum, aut posthac alijs in annis nascetur. Aduersus igitur hunc delirantem edidit Gretserus librum cui titulus est Antimonium, pro deliro quodam Medico & Alchymista, qui nominis sui oblitus, se Basilium de Varna nominat, deliranti eo fine per triginta doses porrectum, vt expurgato cerebro, cum alia tum etiam hoc discat quænam sit controuersiarum norma, & quis iudex. At si me cõsuluisset Gretserus in voto fuissem, non magis expedire hanc pestem cum suo fœtore, Antimonio mouere, quàm Camarinam. Talem enim pestem peruicacem & intractabilem, si quis commoueat quouis etiam præstantissimo medicamẽto, fieri non potest, quin ingentem edat fœtorem, omnia sua infectione corrumpentẽ, & ex insano furentem facientem. Hoc enim genus morborum non curatur, nisi aut flagello, aut ferro, aut igni, quod res ipsa indicauit. Nam Antimonij triginta dosibus sumptis tantùm abest vt Libauius euictus de sua sententia

decesserit, quòd ex insano furens factus, correptus furore & furijs agitatus, non solùm in ipsum Gretserum, suum pium Medicũ, libro edito, cui titulus est Gretserus triumphatus, sed etiam in alios viros bonos furiosius insurrexerit, adeò vt coactus fuerit Gretserus iterare Antimonium pro deliro Alchymista, & publicare librum suum satis magnum cui titulus est Bauius & Mæuius. Non tamen iterato antimonio sanatus est insaniens Libauius, sed magis furens, in sanos viros insanus insurrexit, ita quòd mussitet tacito Gretseri Medicinæ dolore. Reliquũ est igitur vt sola scutica huic morbo peruicaci conueniat. Quam fatuis, stultis ac insanis plurimum prodesse satis superque testantur Diuo Mathurino vota, qui continuis nouẽ matutinis loco medicamenti verberibus ad cruorẽ vsque cæduntur. Sed laterẽ lauo. Lætatur enim & pinguescit maledicentiâ Libauius, quâ lætetur eò vsque donec in eas redigatur angustias, quas immutabilis iusticiæ diuinæ ordo blasphemis decernit.

Vtque repertori nocuit pugnacis Iambi
Sic sit in exitium lingua proterua suum.

Quod ad me attinet, non vt Libauium ſanare ſperem, ſed vt nimium curioſos, à dogmatibus Chymiſticæ peruerſitatis perquirendis, auerterem, & errores, & fabularũ monſtra, quibus Chymici libri refertiſſimi ſunt, & ante annos ſexcentos inſpirati à ſpiritu erroris peruerſiſſimis hominibus oſtenderem, laborem contra Alchymiam iteratũ ſuſcepi, vt tandem vel ſerò nimis confundantur infœlices, vel reuertantur ad veritatem, conſpicientes, quanta cœcitas cõtigerit inter eos, qui ſpretâ verâ doctrinâ, à veris & Philoſophicis rationibus, ſe abſtrahi patiuntur, & in ignorantia miſerrime detineri. Cæterum conſilium meum non eſt, vt errores omnes Libauij hac Apologia congeram, ac depellam. Nunquam enim mihi tantum oneris imponeret vlla diſſentio, vt in Libauij omnia errata inquiram, & reſpondeam longiſſimis fabulis & maximè intricatis diſputationibus & inutilibus obiectionibus, quibus ipſum meum librum, alio longiori libro, conatus eſt euertere, nolo deque longo libro, tanquam clauum clauo trudere. Cùm autem nihil niſi ineptias & deliramenta contineat, ſufficiet hîc pauca quæ nihil

ad verſum, vt aiunt, ſed ad calumnias pertinent refutaſſe, & admonuiſſe lectorem me in libro de Interitu Alchymiæ omnibus veritatis amatoribus ſufficienter ſatisfeciſſe, ac ſingula Libauij errata, quæ ad Alchymiam ſuſtentandã videntur pertinere, ſuo quoq; loco ac ordine, & iuxta rei genus efficaci declaratione oſtendiſſe. Maiori enim ſtultitia notari deberem, ſi omnibus & ſingulis ſtultis, ac leuibus reſponderem obiectionibus & ſophiſmatibus. Nam ex Galeni præcepto qui ſemper Sophiſticã facultatem in odio habuit, vt habetur 6. de morb. vulgar. Sophiſtica nihil ad melius ſanandum conferunt, & ideò non omnibus diſceptationibus Sophiſtarum, ſed in ſolidis ſtudijs, atque operibus laude dignis conſumendum eſt tempus. Satis eſt in arte diſſerendi tam eſſe quem verſatum, vt verum à falſo diſtinguere ſciat, vlterius ſi procedas, hominem ineptum, vt Ardedelionem noſtrum reddunt, qui dum confidit de omnibus acutius, quàm par eſt, ac locupletius diſputare, abſque propria ſcientiarum in quibus diſceptat, cognitione, ſemper diſcit, & nunquàm ad ſcientiam peruenit. Videmus Chryſippum qui gloriabatur ſe certaturum

cum quouis mortali in Dialectica, quique optaret Deum quempiam cum illo congredi atque disputare, quàm ineptè concludat, quamq; facilè superetur cum sua argumentorū multitudine, vt benè scripserit Galenus Sophistarum rationum mendacium, ex conclusione quæ vera non est, apertè deprægendi. Cùm igitur præclar⁹ hic noster Sophista iustè plusquàm deceat exercitatus in Sophismatibus siue rationibus falsis, ad verarum imaginem dolosè constructis, mutuis altercationibus putet inclarescere, quid possit Sophistarum contradicendi cupidorū improba loquacitas experiri voluit, præclarè intelligens, nihil esse tam verè, nihil tam sanctè dictū, quod non dicendo conuelli, labefactaríque possit, nihil tam improbabile, quod dicendo non fiat probabile, at simile quiddam illi euenit, quòd plerísque similibus Sophisticis accidere solet: qui cùm arduas de Deo, ac de animorum immortalitate, ac alijs quæstiones proposuerint, quas deinde soluere nesciant, ac ea sibi probari velint, quæ à nullo sint hactenus improbata, incerti quo ferantur, in prauas opiniones delabuntur. Eodem ferè modo cùm adductas contra

Alchymiam à me rationes refellere non possit ipse Sophista, eò cœcus rerum suarum amor traxit, vt suas rationes veras, meas verò falsas crederet. Sed qui sordet Libauius, sordeat adhuc, quod ad me attinet, quæ de Sophistarum sententia, vera esse docere voluit, ego contra de sententia Doctissimorum virorum, falsa esse docebo, ostendámque scriptis huius nugigeruli temere non esse assentiendum, & mendaciorum illum fructum ferre debere, vt etiam cùm vera scribit, suspectus haberi debeat.

Examinatur Libri titulus ac stylus & dicendi genus quo vtitur Libauius.

NE quid alicuius momenti indiscussum relinquam, examinare placet breuiter titulum Libri, qui talis est. *Defensio & declaratio perspicua Alchymiæ transmutatoriæ, opposita Nicolai Guiberti Lotharingi Phil. Med. expugnationi virili &c. ita concinnata, vt facilè pateat etiam vulgaribus Physicis, Alchymiam ex veræ sapientiæ atque adeò Aristotelici peripati principijs & fundamentis, extructam esse.* Magnificũ equidem texit titulum Libauius, grandiáque promissa facit. Quænam tamen esse de-

beat de ipſius Doctrina, ac iudicio exiſtimatio, ſatis luculenter declaratur in ipſo Libri veſtibulo. Cùm enim librorum inſcriptio ſit ſumma quædam rerum omnium in ijs explicatarum, & ideò facienda ſit ſummo cum iudicio, vt ſubiectum primo ſtatim initio nobis aperiatur: tamẽ tam inconſiderata, implicata, & tenebricoſa facta eſt à Libauio, vt nec verba, nec ſenſus prima facie ſatis intelligi poſſint. Et ante legendus ſit totus liber quàm quid in eo doceatur cognoſci poſſit. Nec ſatis fuit Libauio omnibus propè ſui libri verbis, mendacem eſſe, niſi ipſo etiam libri titulo mentiretur. Magnifica enim illa promiſſa nuſquam apparent, rebuſque ipſis in libro tractatis, minimè reſpondent. Ita vt in Libauium meritò quadrare poſſit illud elogium, quod immeritò in Guibertum eructauit.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Quòd Libauius non ſtet promiſſis, ſatis ſuperque patebit lectori etiam ei, quem verba Libauij adigent ad totius libri lectionis reiterationem. Nam cùm ibi

ibi profiteatur, in expugnandis Guiberti obiectionibus, ita ſe verſatum iri, vt facilè patere poſſit, etiam vulgaribus Phyſicis, Alchymiam ex veræ ſapientiæ, atque adeò etiam Ariſtotelicis principijs & fundamentis extructam eſſe, & ſibi perpetuò conſtare naturæ & artis experimentis: tamen id eſt tam manifeſtè falſum quàm quod falſiſſimum. Nam ſi vel totum librum decies millies legas & perlegas, nuſquàm tamen in eo inuenias aliquem vel veræ ſapientiæ locum, vel Ariſtotelis placitum, quod Alchymiæ principia fundet, quod Alchymiæ fundamenta iaciat, vt ſic exiſtimem, neminem dubitaturum eſſe, quin eadem fide aut maiori etiam vanitate effutiat, quæcunque ſimul aſpergit, & accumulat, famoſus impoſtor, ad aſtruendum metallificium. Tantùm enim abeſt, vt in ſua defenſione Alchymiæ, tradantur aliqua principia, aliqua placita, aliqua fundamēta, ex vera Philoſophia, vel Ariſtotelicis dogmatibus petita, quibus demonſtrari poſſit, Alchymiam, ex veræ Philoſophiæ principijs & fundamentis extructam eſſe, vt etiamſi maximè vellet, nunquàm vel vnum locum oſtendere poſſet, ex toto Ariſtotele, vel quouis alio Philoſopho,

ſiue veteri, ſiue recentiori, qui Alchymiæ faueat; nedum qui eius fundamenta iaciat, ita vt mihi non ſit valdè laborandum, vt oſtendam iam ſtatim in fronte libri ſui, Libauium ſtudioſis lectoribus imponere, ac illis pro leone murem obijcere.

Quòd & ſi Libauius, in ſua defenſione Alchymiæ, ſententias & axiomata, ex Ariſtotele, ac alijs Philoſophiæ principibus petita, & à me adducta ad Alchymiæ vanitatem oſtendendã, impugnare tentauerit, ac Sophiſticis, falſis, pugnantibus, vanis, & inanibus argutiũculis contenderit, ea contra Alchymiam minimè facere: non ſtatim ob id putandum eſt, ipſum demonſtraſſe Alchymiam veris principijs & fundamẽtis eſſe extructam. Nam aliud eſt quæ adducuntur ad Alchymiæ vanitatẽ refellendam impugnare, & oſtendere ea non facere contra Alchymiam: aliud demonſtrare ipſam Alchymiam veris principijs & fundamentis Philoſophicis extructam eſſe. Si enim non obſint ad Alchymiam deſtruendam, non tamen proſint ad eam aſtruendam. Quid autem ſtultius, quid inconſideratius fieri poteſt, quàm accipere vel maximè dubia, negata, perſpicuè falſa, ac

omnibus controuerſa, tanquàm manifeſta? cùm quæ per demonſtrationem cognoſcuntur, ita conſtare & certa eſſe debeant, vt aliter ſe habere non poſſint? Sed quid opus eſt, vt eius verba recenſeam, quæ ſunt in Epiſtola dedicatoria, in quibus ſuam ſapientiam amplificans, iactat ſe præcepta Chymica principijs etiam Ariſtotelicæ factioni, atque adeò ſyncerè Philoſophantibus notis conſuetíſque declaraſſe ac confirmaſſe? profectò aut ego nihil intelligo, aut in hoc Libauius ipſe egregiè inſanit. Oſtendat ipſa præcepta Chymica, oſtendat axiomata, oſtendat dogmata principijs Ariſtotelicis declarata ac confirmata. Cur ea nobis abſcondit? cur non patefacit? cur ſerpentem loco panis nobis porrigit? an ea tanquam Cereris myſteria vulgare nefas eſt? cur igitur promittit, ſi promiſſis ſtare non vult? ſed verba fiunt mortuo, nihil audit Libauius, nihil intelligit. Satis eſt illi ſi pergat ineptire, ſi ſumat ea quæ ſibi nemo conceſſerit: & ex ijs deinde concludat quæ minimè neceſſariò conſequantur. Si in nigrum candida conuertat, & efficiat, vt quæ falſa eſt oratio, veriſſima eſſe videatur. Oſtendat quæſo propoſitiones, oſtendat medium quo

demonſtrauit Alchymiam ex veræ ſapientiæ atque Ariſtotelicis principijs extructam eſſe. Credulos oportet eſſe, qui Libauio fidem habent, qui cùm præcipuum laborem collocare debuerit, vt Alchymiam Phyſicis principijs & fundamentis exædificatam eſſe demonſtraret, ſolæ adductæ fabulæ ad ſua ſtabilienda mendacia. Sed ſatis de titulo. Aliquid de ſtylo ſeu dicendi genere, quo Sophiſta Libauius vtitur in ſua tali quali defenſione Alchymiæ, dicatur. Si quis ad examen eam reuocauerit, nõ eſt dubitandũ, quin ſtatim iudicet totum Libauij ſermonem impurũ, barbarum, vitioſum, aſperum, horridum, perplexum, plicis ac tricis inuolutum, ita vt quamuis in dicendo ſit nimius, ſit tamen tenebris ipſis tenebroſior, reddatúrque eius oratio Ænigmatica & Amphibologiarum plena; ita vt hæc obſcuritas ab eo data opera affectata, facit vt aliquid magnũ dicere vbique videatur; cùm tamen leuia quædã dicat & peruulgata, quæ intelligi poſſe non videntur, quia res in profundo poſitas tractare fingit, ad quas intelligẽdum nemo ſit idoneus. Omitto verba ſexcẽta præter communem ſignificationem ab eo vſurpata, vocum nouitates, Phraſes ac

dicendi modos à communi vſu omninò alienos. Veſtigia horum omnium vitiorum ſatis apparent in fronte libri. Attendant quæſo benigni lectores, attendant Grammatici hunc modum loquēdi: *Ariſtotelici peripati.* Dicant quid ſibi loquendo velit Libauius ſi propriè loquatur. Pronunciēt num in genere concordent. Attendant præter modum loquendi ineptum, num benè congruat coniunctio horum verborum: *Apologiæ malæ ſartæ & prauæ.* Et præter alia vitia inueſtigabunt communem ſignificationem huius vocis *Peripatus* Libauium prorſus ignoraſſe. Vnus author proferatur in quo veſtigium ſit aliquod, quòd hęc vox ſignificet id quod hîc apud eum, & id quod apud eundem f. 24. vbi ſic ſcribit: *Nec quicquam aliud habet totus Peripatus & Academia &c.* vbi voluit hoc nomine ſignificari per Antonomaſiam Ariſtotelem Peripateticorū principem, vt ex ei9 verbis intelligi poteſt, ſed nullo iure, nullo more, nullo exemplo. Deinceps nugigerulus videat omnia Lexica: inuenire poterit hanc vocem apud Græcos ſignificare quod deambulatio apud latinos, accipi inquam pro actu ambulādi, & non pro ipſo ambulatore.

Inueniet apud Platonem in Phædro accipi pro disputatione Philosophica, vnde Peripatetica sermocinatio, id est ambulatoria: vnde Peripatetici Philosophi, quorum princeps fuit Aristoteles: ita dicti quia disputabant inambulantes in Lyceo: & tamen ipse audet miles gloriosissimꝰ tertio quoque verbo Græcizare? tertio quoque verbo vocabulis æquiuocis, inusitatis, Ægnimaticis Phrasibus, vt Cauillatoris proprijs, legentium animos miserabiliter torquere? omnibus igitur satis palam facit iste tenebrio quàm Grecæ linguæ sit intelligens, & quàm multùm in ea profecerit, detegit, existimās alibi admissa flagitia tegere, Græca passim admiscendo, & adeò minutè Græcizando, vt in hoc, & in alijs suis scriptis cuilibet propè latinę voci Græcam annectat, quò etiam reddat se obscuriorem: legentes verò vanitate ac pompa quadam mixtæ orationis fallat, id est, spe magnarum rerum pascat. Quæ quidem scribendi ratio, quantas tenebras imperitis animis possit effundere, & quantum à bonis auctoribus repræhendatur, etiam auctoritate Ciceronis, qui tot veterum Philosophantiū Græcorum sententias in Academicis, in Tus-

culanis quæstionibus, in libris de natura Deorum, alijsque suis Philosophicis tractationibus latinè exposuit, notius est quàm vt pluribus debeat demonstrari. Et fuit Cicero Græcæ linguæ intelligentissimus; attamē à Græcis verbis ita temperauit, vt quamuis probè sciret plurimorum verborum sensus, magis percipi posse, si verbis Græcis efferantur, quòd ea lingua sæpè suas habeat peculiares Phrases, quæ latinè tam bellè reddi non possint, tamen ab ijs abstinuit dum apud latinos loquitur, & vocabulis vsitatis atque receptis (vbi præsto sunt) vtitur: nec sine vlla necessitate Græcizat; quem imitati Docti viri scriptores ab ijs nominibus & vocabulis discedere ne tantulum quidem voluerunt, quæ in Græcorum veterum libris latinitate donatis vsitata, & longa multorum annorū consuetudine recepta fuisse compererunt. Quorsum enim tot verba Græca si benè conuersa habeantur? si enim non errarūt tot interpretes, ad quid puerilis hæc ostentatio, si errarunt vbi admonet ardelio? licet tribus casibus Græca miscere libris, doctioribus attestātibus, vel cùm latina non habentur, vel vbi lis est in lectione vel dictione, vel sensu, vel cùm

res adeò grauis eſt, vt vereamur ne quis interpretatione maiorẽ Emphaſim addiderit. In alijs ſi quis faciat, inepta ac puerili ambitione id feciſſe haud dubium eſt. Nec illa frequens Metamorphoſis, eſt legenti quaſi currenti niſi obiectus lapis, qui vt ſiſtit atque interturbat mentem in quæſtionem intentam, ſic orationem Libauianam alioquin ſatis per ſe implicitã, reddit inextricabilem, nec magnum adfert adiumentũ Alchymiæ deditis, quibus maximè ſcribitur, qui omnes ferè eſſe ſolent Græcarum literarum rudes. Quin & pauciſſimi ſunt etiam inter Doctos hoc noſtro ſæculo, qui Libauium latinam linguam loquentem, ne dum Græcam, ſatis intelligant: vt qui vocum nouitates & obſcuritatem adamauerit, quantumque in ſe fuit, ea dicendi genera amplexus fuerit, quæ lucem eripere orationi, tenebraſque offundere poſſe viderentur, non paucis terminis minimè vſitatis admixtis. Sed has tenues ſtillulas, ex immenſo ineptiarum & abſurditatum Libauianarum Oceano relinquamus: & ne res ad verba me deflectere contendat, ſequamur alia.

De calumnijs & conuicijs euomitis in Lothoringos.

VENIO ad Epiſtolam ad lectorem, in qua ſtatim ſpecimen edens inſaniæ ſuæ Libauius, Lotharingorum nationi iniquiſſimũ ſe præbet, & ſtomachum in eos euomit, & in eos debacchatur. Satis non erat Libauio Guibertum innumeris conuicijs lacerare, niſi in ipſius etiam patriam, & in inſontes, impetum faceret, his verbis: *Parum erat publicam in politia pacem diſruptam armis Lotharingicis, ni turbarentur etiam litteræ ſtudio gentis eiuſdem.* Quibus verbis ſatis ſuperque fit manifeſtum, omnibus etiam lippientibus ipſum impoſtorem malè animatum, non ſolùm in Lotharingos ipſos, ſed & in eorũ Principes, quos non auſus eſt nominare: adblandirique potiſſimùm voluiſſe, Sereniſſimo Principi Friderico Duci Wirtembergæ, cui talem qualem defenſionem ſuam Alchymiæ dedicauit, & hoc ſermone in eius gratiam irrepere, & beneuolentiam eius ſibi conciliare tentaſſe, ac Principes Lotharingos vnà cum ſubditis in odium

adducere voluisse. Vnde statim aduertere poterit æquus rerum æstimator, merum hunc Sycophantam hæc seditiosissimè dicere: quando à tantis calumnijs præter propositum exordium ducit, ac vlcera iam obducta cicatrice refricat, tentans acerba hac recordatione veteres animorum curas iam sopitas renouare, & vetera odia ignibus excitare; satis declarans nihil aliud cupere, quàm vt ad nouas contentiones redeatur. Nec insanus animaduertit sapientiam & prudentiam tantorum Principum incomparabilem iam diu alterum alteri ita reconciliasse, vt & amore indissolubili sese mutuò prosequantur, & animi beneuolentissimi signa, & verbis & factis continenter exhibeant. Vnde non est desperandum naturalem Principis Wirtembergæ benignitatẽ quãdoque facturam, vt factum Libauij detestãdo, graui pœna ei sanciat, ne ea de re sermonem imposterum inferre audeat. Quis enim adeò sit stupidus, vt putet sapientissimũ Ducem Wirtembergensem famosis libellis delectari, auresque exibere Libauio calumniatori patentes? quis credet tantum Principem delectari pernicioso Libauij ingenio, qui talia in verba parum sua

professione digna erũpat? qui cum nullo pacem colere possit? & quis nescit tantum abesse, vt Principes Lotharingi pacem constitutam, vel publicam tranquillitatẽ vnquàm perturbarint, quòd semper ad ipsam inclinarint, ac inter inimicos conciliare tentarint? eamque votis præcibúsque publicis ad Deum fusis, non semel expoposcerint? benè verũ est quòd quoties oportuit, fregerunt audaciam hostium, fregerunt consilia perditorum. Ex quorum numero non est postremus Libauius. Et vt de literis Lotharingicis, quas calumniator impudentissimus proscindit, aliquid dicam. Non est quòd conuicium huic genti de turbatione literarum faciat calumniator. Tantum enim abest vt literæ turbentur studio gentis eiusdem, quòd eius studio paratur hoc tempore, seruatúrque regnum literarum, cuius anima virtus & veritas est, dissipatur autem vitijs & mendacijs Libauianis, ac sui similium, quorum scriptis impurissimis, virtus & veritas lacerãtur, omnis diuina ac humana Philosophia turbatur. Ornatur equidem nostris temporibus Lotharingia ingenti literarum numero. Habet Vniuersitatem Mussipõtanam, & varia doctrina, &

professorum mira eruditione celebrem, qui spicula Libauiana & imbelles sarissas non metuunt, vel qui primis labris bonas literas degustarunt tirunculi. Omnibus enim eruditionis Libauianæ in bonis literis tenuitas nota est, qui tamen quò magis in scribendo ineptus est, eò maiorem librorũ copiã effudit quotidie.

Quòd si nunc non tot chartas oblinunt Lotharingi, quot facit famosus conuiciator Libauius, nihilo sunt illo deteriores. Non enim temeritate atque inscitia compelluntur, ad tot tantáque scribendum, ad quot quantáque ambitione compellitur Libauius, vt habeatur in aliquo pretio. Edunt fortasse Lotharingi pauca, sed edunt sua, eaque iudicio selecta. Nec quidquid in buccam venit effutiunt, nec ea celeritate libros conficiunt, quâ calumniator, sed eos nonum premunt in annum, ac repetita sæpius lectione eos recognoscunt, & ante editionem emendandi gratia doctioribus committunt. Estque Lotharingis scriptoribus ista modesta scribendi ratio, non solùm cum Catholicis populis cõmunis, qui deliberant diu quod statuendum est semel, sed etiam cum ipso Galeno, qui vult vt scripta eruditorum hominum, iu-

dicio ſubiiciantur alieno, priuſquam in publicum emittantur, vt quæ bona ſunt exponantur, mala verò quæcunque fuerint, perdantur. Quòd ſi idem faceret feciſſétque Libauius, ſuíque ſimiles, maneret ſtarétque regnum literarum, minúſque ab ijs fortaſſe turbatum eſſet: quiéſque publica cùm tot bonorũ calamitate minimè turbata fuiſſet. Cæterùm non dubito, hoc tempore, cum Libauio, cæteríſque Lotharingorum oſoribus, in arenam deſcendere poſſe, in omni genere literarum, complures Lotharingos homines Doctiſſimos. Faciãt periculum in Medicina, in Philoſophia, in Legibus, in Theologia, ac in quouis alio genere doctrinarum.

Equidem puto fatalia eſſe & Lotharingorum arma, & literas eiuſdem gentis. Nam quemadmodum arma Lotharingica conſueuerunt debellare ſuperbos, perditos, Deo & Angelis eius exoſos: ſic & literæ Lotharingicæ mortem afferre omnibus errorum generibus, omnibus noxijs opinionibus. Scire te velim, Libaui, eſſe ex Lotharingis, qui modeſtiſſima prudentia, ſummo iudicio, maximis operibus ea moliũtur, quæ præſentis ſæculi fidem, poſteritatis om-

nem ſuperent expectationem. Lotharingorum monumentorum vita, Libauij nominis mors quandoque futura eſt. Quid tibi inter alia dicam de accuratiſſimis, vtiliſſimíſque Nicolai Serarij Lotharingi, è Societate Ieſu Theologi (dum viueret) clariſſimi Commentarijs, cùm Theologicis, tum Hiſtoricis? Theologica adhuc non potuerunt veſtrorū nugis & conuicijs labefactari, & ſpem vobis in futurum criſtas erigendi ademerunt omnem: volui in præſentiarum huius vnius viri Lotharingi, ſummi Theologi, qui tibi notiſſimus eſt, doctrinam recitare. In Medicina habet nunc etiam plures Doctiſſimos viros, qui ingenij ſui monumentis, omníque bonarum literarum genere rempublicam literariam locupletarunt, & locupletāt; inter quos præcipui habentur Piſones, Cacheti, Mouſini, qui propter præclara ingenij monimenta ab omnibus magnoperè commendantur: de quorum eximia doctrina plura dicerem, niſi noſtra nimiùm laudare viderer, & niſi ipſorum libri iam editi ſatis loquerentur. Sunt & alij plures, in quibus cōſummatorum virorum laudes nō desiderares, ſi hac in re non faceres, vt ſuſpecti faciūt iudices, qui inui-

dia vel odio occœcati, vera cùm intelligant, falsa tamen pronunciant. Ex his aliqua Commentaria videbis citiùs fortasse quàm voles. Inter Iureconsultos, habes Remigium, ditionis totius Lotharingicæ Procuratorem, vt missos faciam, Petrum Gregorium Tholosanum, Guillielmum Barclayium, ac Petrum Carpenterium, quorum præcipue' industria in celebri illius Mussipontanæ Academiæ, iuridicæ Collegio, cui vicissim Decani præfuerũt, enituit: hi enim, & si quidem Lotharingi origine haud extiterint, ipsam tamen patriam nobilitarũt, sua eruditione quàm maxime', vt hinc elucescat Lotharingis Principibus, non aliud cordi esse quàm bonas literas ad se maximis quantumuis conductas sumptibus, vel ex extremis oris euocare. Habes & in Poesi Pantaleonis Theuenini, in Hebdomadam du Bartas Commentarios, & Nicolai Nomesceij Parnassum Poeticum, quæ opera non parùm à Doctis commendantur.

Cæterùm laudes literarũ quæ sunt, non à Lotharingis, nec à Germanis vindicandæ sunt, sed id iudicium exteris hominibus committendũ est. Suam cuique laudem, laborum pręmium, & relinquimus

libenter,& concedimus cumulatè, & deferimus liberaliter. Et hæc mea dicta à Libauio accipi volo, veluti admonitionem, vt cautiùs post hac & syncerius in suis scriptis agat, & de armis & de literis Lotharingicis veriùs scribat. Ego autem, si adhuc pauca quædam breuiter dixero super conuicijs & contumelijs ab homine inquinatissimo Libauio in summos Pontifices ac Iesuitas etiam effutitis, satis abundè mihi propulsasse videbor venenum & virus, quod in nationem meam Lotharingicam, ac religionis quam colo professores euomuit Libauius. Porrò licet ipse sit indignus responso, nec oporteat istis stultis hominibus respondere, & fatear à me factum non prudentissimè, vt huic nunc respondeam: tamen ne respondendi negligentia & patientia nostra efferat se eius insolentia, & maiori audacia concepta nouas contentiones & bella excitet, resistendum aliquantulũ, & obuiam eundum esse duxi, quanquam ne nunc quidem acerbè prouocatus huic maledico resisterem, nisi me reipublicæ literariæ magnum fructum afferre hac contentione confiderẽ. Quod si in repellendis criminibus eius conuiciatoris acer-
bioribus

bioribus verbis vtar aliquanto, quàm purgatæ aures ferre soleant: Sciant benigni Lectores hæc ludum, iocúmque esse, præ ijs quæ in suum librum contra me editum conuexit, maledictis. In eo enim omnes omni memoria scriptores petulantiâ superauit.

Examinantur conuicia & contumeliæ ab inquinatissimo Libauio in Summos Pontifices ac in Iesuitas non minùs temerè quàm falsò effutita.

PARVM erat Ardelioni in Theologia, in Philosophia, in Medicina, in Poësi, in Alchymia delirare, nisi & in Summos Pontifices, Iesuitas, ac alios Catholicæ religionis ordines inueheret, ac in eos styli sui lanceam dirigeret; nec non & ingentia conuiciorum & mendaciorum plaustra conueheret. Quod ad Summos Pontifices attinet, remittam Libauiũ ad Gretzerũ & alios summos Theologos, in quorum latissimo campo expatiari poterit, si libuerit. Quòd mihi obijcit & crimini vertit quod Iesuitarum doctrinam amplectar, eos vocans meos magistros Iesuitulas: velim sciat hic magnus Ardelio me non hoc agere in præ-

ſenti vt à Summis Pontificibus & alijs religionis Catholicæ quam colo, conuicia ac crimina obiecta emoliar.. Sunt enim tam impia ac nefaria vt ea etiam replicare ſit criminis. Et à ſummis noſtra ætate Theologis, proprio iure, iam copioſe omnia iſta conuicia fuerunt repulſa, vt dictū eſt. Quòd ſi id agere decreuiſſem, ſperarem tamen Ardelionem non melius Hæreticè quàm me Catholicè ſcribere poſſe. Quamobrem & illud quoque profiteri auderem, nihil eorum me latere quæ ad perditiſſimā ſtultiſſimamque opinionem ſuam auerruncandam pertinerent. Sed nolo falcem mittere in meſſem alienam, nec crambem recoquere. Eum remittam ad Antimonium & Bauium Gretzeri, ad alios quos meos magiſtros vocat Ieſuitulas, qui colloquio Ratiſbonēſi interfuerunt, quos in conſilium vt adhibeam imperat iſte tenebrio f. 49. vt narrent mihi pulchram fabulam. Remittam eum ad Serarium, ac ad tot tantoſque animæ Medicos, qui pietate, doctrinâ, vitæ integritate, & innocentia præſtantes, nullo vel amore, vel odio, vel reſpectu perſonarum aut religionum adduci ſe ſinunt, vt de ijs quæ ad fidem ſpectant, aliud

vel ſentiant, vel loquantur, quàm quod in gloriam Dei, in exaltationem veritatis, in ædificationem veræ Eccleſiæ Dei cedat. At quod ad Ieſuitas pertinet, quorum audaciam & Doctrinam ſcribit me imitari, velim ſciat me liberè confiteri, me hactenus prætuliſſe fidem & religionem ac egregias Ieſuitarum virtutes, hęreſi & factioni Libauianis, méque conſectari quantum poſſum, non quantum volo eorum Doctrinam & pietatem, idque longè potius quàm aliorum inſanias ac impietates. Qui cùm videant Ieſuitas à ſuis dogmatibus abhorrere & ſuis luminibus officere, cum cæteris inimicis ſuis contra eos quotidie conſpirant.

Quòd ſi inſtituta & rationes hominum Ieſuitarum cum Libauio cæteriſque Aſſeclarũ cogitationibus cõſilijſque conferantur, magnam quidem diſſimilitudinem habere inuenientur. Ieſuitæ enim charitatis deſiderio veráq; in Deum pietate accenſi, magis ac magis in hac ipſa animarũ ſalute elaborant, quæ vera ſunt animarum iuuandarum inſtrumenta, impetrari, exorarique à Deo largitore ſolent, orationibus videlicet, ieiunijs, vigilijs, ſanctarum ſcripturarum ſtudijs, meditationibus, ipſaque humilitate po-

tiſſimùm. Cum enim iuuare alios, ad Chriſtianamque religionẽ ac pietatem veráſq; virtutes, dirigere ſibi propoſuerint, ipſis quàm maximè (perfectæ imprimis animorũ ſuorum inſtitutioni & vitæ integritati) incumbunt. Magnam curam operámque cõferunt ad imitationem illarum virtutum, quas tanquam hæreditarias Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, à quo denominantur, poſteris reliquit. Vitæ innocẽtiam ac morum caſtitatem, integritatémque ſumma cura, ſummo ſtudio proſequuntur. In eam curam incumbunt vehementer, vt ad omnia officia rectè obeunda ſe parent, atque inſtruant, quibus via ſit ad ſalutem animarum iuuandam ac procurandam. Maximam vim ad eum charitatis erga animarum ſalutem, ardorem, non modo in mentibus concipiunt, ſed alunt & fouent. Et ſic ſancto ſalutis animarum deſiderio accenſi, ac diuino ſpiritu afflatì, nullus vel maximus labor eſſe poteſt, quem illi ſubire recuſent, ne prætioſiſſimi Chriſti ſanguinis fructus in ipſis, alijſque ipſorum negligentia aut culpa depereat. Conſiderant horribilem animarum ſtragem, quam generis humani ſempiternus hoſtis Sathanas facit: quan-

tam in illis perdendis ſolicitudinem adhibeat, quibus vtatur miniſtris, qua alacritate ſolicitudinéque, quibus laboribus & vigilijs, ſceleſti illi miniſtri opus vrgeant, indefeſſi, atque aſſidui ijdemque perpetui & obfirmati. Quare turpiſſimam rem ſe ſe facturos exiſtimant ipſi Ieſu-Chriſti miniſtri, ſi ita Domini ſui voluntatem dignitatémque ſuam atque ſempiterna præmia parui pendent, vel à Chriſtiana charitate tam alienos ſe præbeant, vt à Sathanæ miniſtris ſuperari ſe ſinant, patiantúrque vt illi maiore ſtudio ad ſe & alios perdendos, quàm ipſi ad ſuam aliorúmque ſalutem tuendam incumbant. Sed illud quoque conſiderant quanta, quàmque ampla ſit hæc meſſis, quanta ſpiritualium bonorũ egeſtas, quanta ſalutariter agentium penuria, quàm pauci verò miniſtri, qui sãcto deſiderio accenſi ſuis neglectis commodis, terreniſq; vtilitatibus, ſolam Chriſti Domini noſtri gloriam animarúmque ſalutem ſpectent. Conſtituunt ſibi ante oculos, plurimos maximóſque labores, quibus ſancti Apoſtoli pro animarum ſalute, dum in terris degerent, perfuncti ſunt. Atque inter hos ſancti Pauli imprimis perpetuas vigilias, itinera, co-

natus, & præclaras contentiones atque actiones. Reſpiciūt innumerabiles Martyres, ſanctos Epiſcopos & Sacerdotes, qui ſancto animarum amore flagrantes, omne laborum periculorúmque genus libentiſſimo animo ſubierunt. Hæc vehementer afficiūt ipſos tuos Ieſuitulas, in quibus lux pietatis reſidet ad animarum ſalutem ſtudioſè quærendam curādamque. Quamobrem prompta, æquabilique animi alacritate, nihil penitus præter Dei gloriam ſpectantes, Dei cognitio vt in animis omnium populorum in dies magis ac magis ſereretur, longè-que propagaretur: (quod quidem naturæ vniuerſæ finis eſt, ad quem condita omnia procreatáque ſunt, vt ſcilicet diuinæ maieſtatis inexplicabilis amplitudo intelligatur, eaque cognita ad procreatoris ſui gloriam omnia referantur) non imperio & armis, ſed inermes tanquam agni inter lupos inambulantes, armatos non ſolùm Europæos ſed etiam Aſianos, Africanos, Indiarum ac vniuerſi orbis populos adorti ſunt, & quotidie adoriuntur, animoque tantùm valent, vt pietate, ſtudijs & laboribus non ſolùm plurimos Ambroſios, Hyeronimos, Auguſtinos, Gregorios, nobis hac

ætate addiderint, ſed & morte plurimos Laurentios atque Ignatios, imo & Paulos, & Thomas, & Bartholomæos, & Matthæos. Nullus eſt terrarum tractus, quò ſocietatis huius vox non penetrarit: vbi Ieſu nomen humanis auxilijs deſtituti non tulerint, non prædicarint: vbi omne laborum periculorúmque genus libentiſſimo animo non ſubierint. Apud vos verò Libauianos Chriſtianiſmi dehoneſtamentum, quid eſt quod multum glorie mini? quid vel domi vel foris memoria dignum geſſiſtis à quo tempore hereſim alere, religionémque Catholicã parui facere cœpiſtis? tot tantarúmque virtutum vmbras atque imagines tantum abeſt vt ſectemini; vt è contrario quaſi in eo ſint vobis vires contendẽdæ nihil aliud quàm hominibus incautis imponatis diſcordias ac tumultus in Ciuitatibus concitetis, legibus vim afferre ſoleatis, mores & ſtatum reipublicæ perturbare, populos à recto vſu inſtrumentorum ac ſubſidiorum ad ſalutem pertinentium dimouere. Vnde in vniuerſum genus humanum calamitas ac ſempiterna mala conſequuntur. At quod Ieſuitulas vocat occæcatus Libauius, ſibi alium finem propoſitũ non habent

quàm gloriam Dei, animarum ſalutem, Eccleſiæque incrementum & amplificationẽ, & pro eo diuinæ gloriæ zelo, quem bonorum omnium parens atque auctor Deus, ijs impertiuit, æqualiter omnes diuinæ maieſtatis famulos pro ſingulorũ ratione & ſtatu, charitate ac obſeruãtia ſingulari complectuntur. Adeò vehementi omnium nationum iuuandarum ſtudio incenduntur, vt dum vitalem illam Chriſti mortem, ſalubria illa Chriſti tormenta atque vulnera, infinitum illud mare Oceanum Chriſti ſanguinis non fruſtra de corpore illius profuſum patiuntur, tam alta & magna cogitant, vt dum hæc aſſequantur, nullis ſtudijs, nullis laboribus ac ne vitæ quidem ipſi parcere exiſtiment. Quorum ſanctiſſimis conſilijs adeò fauet Deus, eamque ad tam optatos exitꝰ paulatim perducit, vt potentia & armis vſque adhuc minimè potuit tota caterua oſorum Ieſuitarum efficere, quę ipſi effecerunt inermes, ſublato ſcilicet ijs diuinitus conſilio & auxilio, eóque communicato Ieſuitis. Ex quorum actionum, totiúſque vitæ luce atque ſplendore, innumerabiles penè quotidie ad diuinæ bonitatis agnitionem & prædicationem adducuntur, per

eos in extremis, cruentis ac occidentis partibus Iesu Christi nomen amplificatur. Quiquidem præstantissimus atque vberrimus fructus summoperè deberet, & Libauianos & alios quoscunque malè de fide sentientes ad resipiscentiam inflammare, si in ijs aliqua lux pietatis resideret, cum ab hominibus quantumuis stolidis veternum excutere posset. Profecto hæc euidentia homini prudēti esse debent argumenta Iesuitarum Religionem ac fidem, tot signis, miraculis, & tot testium sanguine quotidie confirmatam, esse veram & sanctam, ac prudentissimè ac tutissimè recipi posse ac debere, quacunque alia secta, prorsus repudiata & reiecta. Non est autem credibile, prouidisse Deum, vt illæ gentes per homines nisi maximè Catholicos, & fidei Catholicæ optimos Doctores erudirentur, non est diuinæ misericordiæ consentaneum, vt tam egregiū facinus aggredi vellet homines impios, vel tot tantásque gentes imbui permitteret erroribus opinionibúsque, ab orthodoxa fide alienis, antequàm vllum veritatis lumen aspicerent. Itaque Iesuitarum fides ac Religio siue secundùm se spectetur, siue cum Libauij, ac aliorum nouatorum sectis con-

feratur, tantam habet veri ſpeciem, vt cœcus ſit qui non videat, eam potius debere amplecti quàm horum impiorum commenta, ac deliramenta. Libauius cum ſui ſimilibus, quibus cœcitas inueterauit, animúſque ad profanata contaminatáq; induruit, hæc irrident, nec exiſtimant ad eos pertinere: aures occludunt, aſpidis inſtar obturantis aures ſuas, ne exaudiat vocem incantantium. At neſcio equidem an alia ex maiore cauſa atque ſcelere, Deus rebus nouis & in religione, & in alijs ſtudentes in cœcitatem mentis, erroréſque omnes, & tanquã aliquod in tenebrarũ Chaos labi ſit paſſus, niſi ꝓpterea quòd talia ob oculos mentis ſibi non proponant negligántque pietatem, in portenta opinionum illabentes. Sed illud quoque conſiderare deberent, hanc fortunatam & fœlicem Societatis propagationem tali ſæculo, tali rerum ſtatu, talibus locis fremantibus & furentibus vndequaque Hæreticis aut miraculo, aut certè alicui, quod miraculi ſimilitudinẽ habeat, annumerandam eſſe.

Vociferetur igitur Libauius me fidem religionémque probare, quam Ieſuitæ docent, me Ieſuitarũ audaciam imitari.

Suadeat me consulere Iesuitulas, vt ipse vocat: ita me Deus aliquando benignè respiciat, quòd nihil æquè habeo in votis quàm fidem religionémque quam Iesuitæ amplectuntur, imitari, nihil magis cupio quàm vt admirandas virtutes Iesuitarum consectari, (qui non solùm virtutes colũt, sed etiam infundũt in quamplurimos) possim. Equidẽ nisi tam longè à Iesuítis abessem nihil antiquius mihi esset, quàm vt eos sæpius consulerem, & de ijs quæ ad salutem pertinent, & de alijs in quibus plurimùm valent. At longius absum Iesuitis quã putat Libauius, & quàm possim illorum familiari vti consuetudine, & ex ijs cumulatiorem percipere vtilitatem. Enitar tamen, Deo adiuuãte, ita imitari Iesuitarum virtutes vt eodem sim aliquando loco quo esse suspicor Loiolas, Xauerios, Salmerones, Codurios, Hosios, Paschasios, Fabros, Bobadillas, Maldonatos, ac tot tantósq; alios viros sanctissimos: quò nunquam peruenturum esse Libauium plusquàm odoror, nisi pœnitentiã habuerit, & errores ingentes quibus est irretitus ex animo suo euellerit. Nec permiserit veritatis opes à tot sanctissimis luminibus auctas, per impia sua scripta exhauriri, ac

nisi sua dogmata falsa, impiáq; retractet, ac melioribus verioribúsque cedere palam velit, veritatémque omnibus alijs rebus expetendis, ne dum honori proprio, anteponere. Et hæc dicta sunt de Libauij Iesuitulis, quos sibi & alijs ad imitandum proponere debuit, potius quàm eos more suo tam crudeliter exagitare.

De quibusdam calumnijs à Libauio in Guibertum effutitis.

DIci vix possit quot & quantis mendacijs, captionibus, imposturis suas fraudes, errores, nugas, falsa dogmata tegere conetur Libauius, quæ quia non facilè à quouis semidocto præsertim depræhendi possunt, ita me totum præcipuis confutandis dedi, vt ingenti studio & vigilantia effecerim (ni fallar) vt fraudes, mendacia, & captiones insigniores Libauij saltē pro maiori parte detexerim, viámque planissimam alijs falce veritatis aperuerim, ad emergēdum ex miserabili Alchimistarum labyrintho. Qui huiuscemodi vanitatibus pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam veritatem, qui cùm habeāt iter rectum,

deuios ſequuntur anfractus, planum deſerunt, vt per præcipitium labantur, lucem relinquunt, vt in tenebris cœci, ac debiles iaceant. Non tamen inſtitui omnes & ſingulas vanitates, fraudes, errores, & mēdacia Libauiana perſequi, quia non niſi maximo volumine poſſem ea complecti. Et indignum arbitratus ſum prætioſi tēporis (cuius parciſſimus conſeruator eſſe ſoleo) magno diſpendio, tot res vanas perſequi, & ætatis meæ momēta, quæ afferre debeo ad maiora conſequenda, in inanitatibus Libauianis diſpenſare velle. Quapropter ſi pauca adhuc quædam breuiter dixero ſuper calumnijs ab hoc nugigerulo Libauio in me effutitis, ſatis abundè mihi propulſaſſe videbor conuicia & calumnias, quæ & in me, & in tot tantóſque viros eructauit. Horum igitur vnum aut alterum tantùm exemplum proferam, quorum primum ſit illud quod capite primo ſui libri & alibi commemorat. Ibi enim conuiciādi temeritate accuſat me quod vocem Alchymiæ vſurpem de tranſmutatoria metallorum ſcientia, quaſi Alchymiam ad nimias anguſtias reuocem: vt quæ verſatur circa metallorum tranſmutationem, vix aliqua ſit Alchymiæ

particula. Vtrum iure vel iniuria me repræhendat, iudicabunt ij qui perspicient me non semel declarauisse in meo Libello, me verba facere de ea duntaxat Alchymia, quæ circa metallorũ trãsmutationem versaretur. Quod & si minimè fecissem tamen dignus repræhensione nulla essem. Nam & vulgò Alchymistæ dicuntur ij duntaxat, qui circa metallorum transmutationem versantur, & Alchymia Antonomasticè & propriè apud omnes ferè Alchymiæ scriptores prædicatur de ea vanitate quæ circa metallificiũ versatur. Quinimò ipsemet Suidas Alchymiæ nomine, nihil aliud præter confectionem auri & argenti intellexit. Et Libauio calumniatori opponam authoritatem Libauij conuitiatoris testimonium, qui sexcentis in locis & præsertim in comment. in Clauem Raymundi f. 267. scribit Alchymiam esse transmutatoriam metallorum disciplinam seu scientiam transmutandi imperfecta metalla per perfecta in perfecta. Vnde satis apparere poterit bonis ac doctis viris Libauium non minus conuitiandi temeritate & copia in scurram degenerasse quàm illum Michelium quem in suis scriptis non semel ornat ijsdem

virtutibus. Cæterum artem veram ſublimandi & deſtillandi, & rationem non fucatam eliciendi purum ab impuro ex medicamentis, ac alia artificia quæ poſteriores Chymiſtæ modo quodam loquendi improprio & abuſiuo Alchymiæ ambitu comprehenderunt, tantũ abeſt vt vituperem, vt eam maximè vtilem, ſalutarem & iucundam, ac maximi faciendam eſſe, cum omnibus Doctis Alchymiæ aduerſantibus profitear, quippe cuius auxilio varias ex rebus vires elicere, liquoréſque ſaluberrimos & alia plurima ex naturæ fontibus hauſta inueſtigare poſſumus. Inſuper opera & auxilio huius artis in notitiam multarum rerum Phyſicarum perducimur. Itaque cum Carrerio hanc artem ingenio Philoſophico menti ſublimia indaganti, animo demùm ingenuo & regio ita accommodatam iudico, vt Alchymiam quæ circa metallorum tranſmutationem verſatur, inutilem ac pernicioſam.

Et vt alterum exemplũ malitiæ, impudẽtiæ, & inſcitiæ Libauianæ, veluti digito cõmonſtrẽ, arguit me perperã quòd vſus ſim hac Phraſi: vltra menſuram. Verba eius hæc ſunt, lib. 1. f. 13. *Nullus vnquam Chymicus dixit, vltra menſuram poſſe fieri*

aurum: ſed omnes analogiam in ponderibus reſpiciunt, &c. Reſpondeo, hîc vt paſſim vbíque, mea verba deprauari à Libauio: non enim minus temerè quàm falsò, verba mea & ſententia inuertuntur à nugatore. Falſum enim eſſe & malitioſè cogitatum, me ſcripſiſſe vltra menſuram poſſe fieri aurum, facilè id perſpicient qui verba mea legerint, quæ ſunt in libro primo, cap. ſecundo, & talia ſunt: *Duo ſunt quæ potiſſimum in Alchymia quæruntur: alterum, vtrum natura arte miniſtrante, poſſit metallum vnum*, puta plumbum, mutare in aliud. Alterum, ſi mutare poſſit, *num vltra menſuram, ſic vt tinctura exempli gratia, ex vncia auri extracta, libram alterius metalli in aurum vertat.* Hæc ſunt mea verba, per quæ facilè quis iudicare poterit eorum ſenſum eſſe: num tinctura ſiue ſpiritus auri tanta virtute polleat, vt permutare valeat maiorem quantitatem corporis, quàm à quo detracta ſit. Præterea falſò aſſerit nugigerulus hanc phraſim non eſſe Chymicam. Nam ſi benè legiſſet capitulum ſecundum libri ſecundi mei libelli, inueniſſet illam phraſim à Chymiſta benè docto, eodem quo à me ſenſu vſurpatam ante annos ferè centum, cum de re Chymica

ſcriberet

ſcriberet cuiꝰ & ſermonẽ & verba tenui.
Adde quod ipſemet nugigerulꝰ, eodem ferè modo loquendi loquutus eſt, in Paraphraſibus in Roſ. Arnoldi, cap. 22. vt turpe ſit Doctori, cum culpa redarguit ipſum. Sed ponamus me non eſſe Chymicè loquutum. Quid tum poſteà? an nõ licuit mihi loqui aliter quàm loquuti ſunt Chymiſtæ? debuit potius nugigerulus oſtendiſſe doctos homines non ſic fuiſſe loquutos. Quid enim illud me mouere debet ſi nullus Chymicus ita fuit loquutus? Nonne menſura eſt illud, quo innoteſcit nobis quãtitas rei, eaquè tum molis, tum virtutis? Eo ferè quo ego modo loquendi, vſus eſt interpres Euangelij Ioannis cap. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Etſi nugigerulus legiſſet, quæ de menſuris & ponderibus ſcripſerunt docti, didiciſſet communem tam liquidorum quàm aridorum menſuram fuiſſe libram, quæ ſiue menſura ſiue pondus eſſet, vnciasduodecim contineret. Didiciſſet etiam quod quemadmodum numerus eſt earum rerum ſæpè, quarum eſſe debuit menſura, cum frumenti, hordæi, & frugum cæterarum, itemque vini & ſimilium numerus vbique legatur, ſic non eſſe à ratione alie-

num, mensuram esse earum rerum sæpè, quarum esse debuit potius pondus. Sed non quæram hîc omnia quorum video non facile inueniri finem. Præstat igitur hos cõponere fluctus, & imitari eundem Libauiũ qui in comm. in ClauẽRaymũd. epistola ad lectorem scribit, licet satis ruitder, ac non satis Grammaticè se in cõtentionibus Philosophicis versantem, non tam studere verbis argutis: quàm aduersantiũ opiniones veritati vim faciẽtes cõuellere & turbare, quã rerũ ipsarũ, luce opposita, tenebras, discutere, & Sophismatũ perplexitates nodósq; disrumpere, & dissipare. Nihil enim facilius est (vt ipse inquit) quàm verbis labefactare aliorum placita, tantúmq; negare, quantum ipsi affirmauerint, & sentẽtias si non euertere, impellere tamen & dubias reddere, p̃sertim cùm absoluta illa iudicãdi ratio in nullo huius sæculi homine sit absoluta. Hæc ex Libauio cõtra Libauium.

De Nabuchodonosoris Metamorphosi.

NOn minus temerè quàm falsò mihi imponit Libauius me asseruisse Nabuchodonosorem Regem in iumentũ substantialiter vel specificè fuisse mutatum. Nec minus falsò etiam scribit, id esse Pa-

pisticum, & me cum Bodino delirare. Quòd minimè asseruerim Nabuchodonosorem Regem in iumentum substantialiter vel specificè fuisse mutatum, liquidò patere potest ex meis verbis, quæ sunt in libro primo cap. sexto. *Non vult Deus locum & ordinem à se institutum peruertere, nisi fortè secreto aliquo, vt cum vxorem Loth in statuam salis commutauit, Nabuchodonosorem Regem in iumentum.* Hæc sunt mea verba: quæ cùm scribebam, id tunc non agebam, vt curiosius explicarem quæstionem, vtrum substantialiter vel accidentaliter fuerit Nabuchodonosor mutatus in iumentũ. Nec vt põderarẽ hoc ad exactã libellã veritatis, sed obiter & quasi per trãsennam Metamorphosin hanc tãgere volui, cõtentus verba referre, quæ legeram apud Medicos magni nominis, Mercurialẽ, in Medicina practica, cap. de Lycantropia, & Ryolanum commẽt. in 2. Fern. de abditis. Et si asseruissẽ fuisse mutatũ substantialiter ac specificè, nõ esset tamen deliriũ Papisticum, cùm maior pars Doctorũ Papistarũ, hoc est, Catholicorũ, & benè sẽtientiũ, teneãt Nabuchodonosorẽ mẽte fuisse captũ, nõ autẽ in speciẽ & formã alicuius animalis mutatũ, & sic cùm mẽte abalienatus esset,

& se bouē esse crederet, instar belluæ vagabatur, & inter armēta pascebatur, naturali hominis forma & habitu non immutato non tamē delirarē cum Bodino, si scripsissē Nabuchodonosorē hominis formā & habitum naturalē immutasse, ac iumēti figurā induisse: sed sentirem cum Tertulliano, qui licet non Papista fuerit putauit tamē Nabuchodonosorem non solùm in amentiā versū, sed in bouē mutatū. Verba eius hæc sunt ex lib. de patientia: *Sic ille Rex Babylonis, offenso domino cum squallore & pedore septenni, ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius hominis est, satis Deo fecit.* Sentirem (inquam) cum Tertulliano, item & cum D. Gregorio lib. 5. moral. cap. 8. & Molin. i. p. q. iij. & alijs non paucis quibus videtur cōtextui sacræ Scripturæ, & rationi magis cōsentanea explicatio volentiū affectionē Regij corporis in bestiæ tēperamētū cōmutatā: figurā etiā humanā aliqua ex parte in ferinā degenerasse. Discat igitur Libaui⁹ non defuisse qui occasione istorum verborū Dan. c. 4. v. 33. (*& figura mea reuersa est ad me*) putauerint Nabuchodonosorē Regem non solùm in amentiā versū, sed & in bouē mutatū, ita

quod exteriorē figurā amiserit, indueritque bouinā; ij tamen non delirarūt: quia quæ dixerūt aut vera sunt, aut vero similia. Discere enim potuit Libaui⁹, si non ex Philosophia Peripatetica, saltē ex sapientissimo Philone Iudæo qui non nouerat Papistas, & qui tamē lib. de special. legib. scribit, quòd sublata ratione, homo in ferā mutatur, vt cūq; lineamēta humanæ speciei retineat. Et quis nescit præter insanum Libauiū, quòd sublato rationali, homo remanet animal irrationale. Porrò aut Nabuchodonosori mēs oblęsa fuit, aut in totū demigrauit, brutā, deteriorēque animi partē relinquens corpori cōmunem cum bestijs: si mēs tantū oblæsa fuit, Nabuchodonosoris mutatio in iumentū, non fuit vera mutatio. Si in totū demigrauit, hæc mutatio potest dici vera mutatio ex suprà dictis. Sed de his hactenus. Non enim Medico haud statim licet in Theologicos fines excurrere, nec volo mihi quispiā inculcet; Quam quisq; norit artē, in ea se exerceat, & ne sutor vltra crepidā. Quare finē hîc dicendi faciā.

Cæterū subiūctas literas, vnam de Laurentij sermone Gallico ad me missam, & in latinū fideliter versā, alteram Lormæi latinā, quarū mentionē superius feci, hîc

recitare volui, vt iudicia amborum tantorum virorũ & dignitate & eruditione cõſenſu totius ferè orbis clariſſimorum conuicijs & maledictis Libauij opponãtur, ad perpetuam ipſius infamiam.

DOMINO DOMINO GVIBERTO Medico Vaucolorij.

DOmine mi, non eram Lutetiæ, eo tempore quo ad me miſiſti epiſtolam & librũ tuum, illam longo interiecto interuallo recepi. Cùm eſſem Fontisbellaquæi diligenter admodum librum legi. Citra aſſentationis artificium id tibi dico illum mihi valdè placuiſſe, laudo tuum ſcribendi modum. Velim teneas quem cœpiſti curſum, vt ſpem mihi adfers. Idque vt facias te obteſtor atque obſecro. Quod ad me attinet, ſucciſiuis horis incumbo quibuſdam morborũ rariorum conſultationibus. Ex quibus aliquid tibi aliquando impertiam. Cæterùm ago tibi gratias, quòd mei immemor non fuiſti. Volo tibi perſuadeas, me daturũ operã vt vbi res tuæ poſtulabũt cognoſcas me eſſe

Tuum humilem & tibi deditum ſeruum: A. de Laurentium.

Pariſijs 10. Iunij 1603.

DOMINO DOMINO GVIBERTO, *Doctori Medico.*

REdditæ mihi fuerunt pridie Kal. Iunias literæ tuæ (VIR MERITISSIME) quibus cum libello tuo Antialchymico, reconditioris ſanè doctrinæ pleniſſimo acceptis, vix dici poteſt quantis me officijs abs te cumulatum ſenſerim. Candoris enim tui eſt, nec vulgaris quidem, quod inuiſum me ad amicitiam vltro prouocas. Verum cùm ſit ea ſtudioſorum imprimis, & literatorum virorum ratio, de alijs quod in ſe eſt; facile', vt præſumant, ambabus quidem vlnis oblatum ipſe munus amplector. Humanitatem verò tuam & animi candorem eximium magis, magíſque ſuſpicio ac veneror. Sed & amicitiam tam probi tamq; eruditi viri, omni in poſterùm ſtudio, fouendam & colendam habeo conſtitutum. Sapientiæ autem eruditioníſque laudes quas nobis tribuis (VIR EXIMIE) tibi vel imprimis debitas agnoſco. Si quid tamen induſtriæ in hunc vſque diem comparauimus, quam ſentio quàm ſit exigua, hanc omnem tibi mancipatam volo. De tuo interim libello vt aliquid dicam verus eſt,

ἀλεξίκακος qui tam audenter Augiæ stabulum purgare instituit. Multisque (maximè bonis & eruditis) si quid iudico, placebit. Et maiori quoque emolumēto foret Reipublicæ, si melioribus & fidelioribus Typis excusus esset. Innumeris enim tota ferè illius Typographia mendis scatet, quas, perlecto semel atque iterum opere, quando ita placet & vis, curabo notandas, tibíque mandandas cùm primùm per otium licebit. Quod ad methodi stylíque rationem attinet, necnon argumentorū vim & sententiarum pondus maximè decent suum authorem virum Philosophum, faciúntque vt imposterùm generis eiusdem plura à tuis Musis expectemus. Tu interim, spontè quod videris fecisse, precatus ex animo, perge, inquam, amare tui studiosissimum ac cupidissimum Collegam.

DE LORME Molinensem Boium Medicinæ Doctorem.

Nanceij pridie Nonas Iunias, 1603.

FINIS.



ALCHYMIA
METALLORVM TRANSMVTATORIA, ARMIS SACRIS IMPVGNATA ET EXPVGNATA.

Per Nicol. Guibertum Lotharingum, Doctorem Medicum.

Probatur Argumento ex Genesi de creatione rerum, vim procreatricem ac seminalem, Creatorẽ non indidisse lapidibus ac metallis, contra quàm à quibusdam Alchymiæ fautoribus traditur: & ideò metallificium quod fundatur in virtute seminali metallorum vanum esse, fabulosum, ac imaginarium figmentum.

CAPVT I.

SCRIPTVRVS contra Alchymiæ vanitatem, mearum partium esse duxi, hoc operis quasi limine ostendere, tantum abesse, vt Alchymia, quæ circa

metallificium versatur, aliquod fundamentum habeat in sacris Scripturis, vt fabulantur Alchymistæ: vt auctoritate ipsarum demonstrari possit, eam prorsus nullam esse, & fabulosam. Verùm, quo omnia pro rei dignitate, quantum licet scribantur, & labor fœliciter cedat, (rem namq; difficilem aggredior, & quæ non ex ijs qui cōtra Chymistas ante me scripserunt, sed ex meo sensu deprompta sunt) Deum Opt. Max. supplex inuoco, vt præsens, manum dirigat, & quando Hercyniam syluam, Cimmeriásque tenebras peruagari licet, suo semper mihi lumine affulgeat: vt opere ad vmbilicum perducto, bonáque pio Lectori fruge condita, honor Trinitati, & gloria tribuatur.

Neminem virum bonum latere arbitror, doctrinas ac artes humanas, catenus esse amplectendas & probādas, quatenus sacris Scripturis consenserint: & ideò hodie inter Christianos longè melius philosophari, qui ea Philosophia plus vtuntur: in qua dicūtur ea quæ, aut nihil, aut non multum discrepent, à communi Theologorum sententia: & Aristotelis ac aliorum Æthnicorum axiomata ad amussim sacrarum Scripturarum exami-

nant, quàm qui contra faciunt. Maximè enim quid veræ ſacræque doctrinæ conſentaneum, quid diſſentaneum ſit, conſiderandum eſt. Nam cùm quæ ab hominibus adducuntur, coniecturas ductrices ſolùm ſæpè habeant: fit vt ſacrarum Literarum ope deſtituti, ea ſæpè ſentiant quæ à ſacris decretis abhorreant: & in naturæ ipſius ſpeculationibus, Andabatarum more, pugnare videantur. Mens enim humana corporis deuincta ergaſtulo, in abſtruſas nimium naturæ partes peruadere nequit. Quinimò multa latent, quæ ferè ſub oculos cadunt, in profundiſſima caligine inſcitiæ humanæ, quia, vt teſtatum reliquit Eccleſiaſtes: naturæ arcana noluit Deus reuelare nobis, ſed hanc occupationem peſſimam philoſophandi, dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Quid quæſo frequentiùs cadit ſub oculos hominum, quàm generatio hominis ac aliorum animalium? attamen Philoſophi fatentur, modum generationis deliteſcere in naturæ penetralibus, ita vt nondum ſit penitus inueſtigatus ab vllo Phyſico. Et quod ita ſe res habeat, ex documentis diuinis intelligi poteſt: Quæſiui ſapientiam, illa longius receſſit à me, alta pro-

funditas eius: quis poterit inuenire? Item intellexi quòd omnium operum Dei, nullam poſſit homo inuenire rationem, & quãtò magis laborauerit, tantò minus inueniet. Item, ſicut ignoras viã ſpiritus, & qua ratione cõpingãtur oſſa in ventre prægnantis, ita neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omniũ. Quòd ſi nos latent, tot tantáque quæ à ſenſu non ſunt valdè remota: quantò nos latebunt ea quæ à ſenſu remotiſſima ſunt? Ariſtoteles Philoſophorum maximus, in Meteor. proemio, cùm his de rebus ſcripturus eſſet, quæ ſecundùm naturam, non æquè ordinatam, euenire conſueuerunt: abſolutam ſe doctrinam & Meteorologiam allaturum negat, his verbis, ſi latinè loquatur: Quorum quidem cum his in rebus fiant, alia ſunt de quibus diſceptamus & quærimus, alia quæ quodammodo attingimus. Idque meritò à Philoſopho ſcribitur, in multis enim rebus eum in Meteorologia hallucinatũ eſſe, quidam doctiſſimi viri, innumeris argumentis contenderunt, & apertè demonſtrarunt. Quod ſi in rebus non adeò abſtruſis, ſi in rebus quæ ferè ſub oculos cadunt, maximi nominis Philoſophi cœcutiunt ac ceſpitant, quid bardis & igna-

uiſſimis Alchymiſtis, in tam abſtruſis rebus inquirendis vſuvenire credendum eſt? qui non diſcernentes lepram à lepra, non ſolùm ea ſentiunt, quæ non probantur in vulgus, ſed & ea, quæ multum diſcrepant, ab ipſis ſacris Scripturis. Inter quas & nos diſſidium eſſe volunt, earum verba in peruerſam & abſurdam ſententiam protrahentes, & in meridiana luce, viros oculatiſſimos cœcutire & ceſpitare volentes? equidem ſi ſaperent, in his quæ ſub oculos non cadunt, quæ maximoperè à ſuis cauſis excedunt, vnde ſenſus ope, à quo noſtra quæ vocatur ſcientia initium deſumit, admodum percipi cognoſcíque nequeunt, aut humanis mentibus inacceſſa ſunt, ſacras Scripturas conſulerẽt ac potiùs eorum dogmata & axiomata ad amuſſim ipſarum examinarent, ac illis potiùs acquieſcerent, quàm cum impoſtoribus ceſpitarent. Quamplurima enim occurrunt in libris prophanis, ad naturam pertinentia, quorum interpretatio, non aliundè poteſt melius, quàm ab ipſis ſacris Scripturis haberi. Sed ne longiùs ab ea quod inſtitui recedam, difficile erat tenebrionibus Chymicis perſuaſione recta carentibus, veræque lucis expertibus, qualis eſt Li-

bauius, nugator nugacissimus, suadere Alchymiam quæ circa Metallorũ transmutationem versatur, sacræ Scripturæ locis esse dissentaneam, nam prauis opinionibus imbuti, nihil posteà rectum putant, quod non earum vndequaque oleat naturam. Id tamen vel ex Genesi de creatione rerum, posse euidenter demonstrari certum est, quòd magna ipsorum Alchymistarum turba, ad stabiliendum suum Metallificium, rem non minus absurdam quàm falsam præsupponit, nempe spiritum seu vim procreatricem ac virtutem seminalem, lapidibus ac metallis Deum indidisse, non secus ac plantis & animalib⁹. Quæ deliria sequutus, (quem Philosophastrum appellat Viues in libro de conscribẽdis Epistolis) Marsilius Ficinus, lib. 3. de triplici vita, quærens cur lapides ac metalla non generent, hanc rationem reddit: quia videlicet spiritus in ijs crassiori materia cohibetur, qui si quãdo ritè secernatur, secretúsque conseruetur, tanquam seminaria virtus, poterit sibi simile generare, si modo materiæ cuidam adhibeatur, generis eiusdem: Qualem spiritum Phisici deligentes (inquit) sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes,

cuiuis metallorum adhibentes aurum efficient. Talem vtique ſpiritum ex auro vel alio tractum atque ſeruatum, Elixir Arabes Aſtrologi nominant. Hæc Ficinus: quæ quidem non minus ſunt falſa, inepta, abſurda, ac ridicula quã Pythagoræ Metempſichoſis & Palingeneſia, hoc eſt regeneratio & trãſmigratio animæ ex vno corpore plãtæ, aut animalis in aliud corp9 vel humanũ, vel animale, vel vegetabile, vt alibi rationibus ex penetralibus Philoſophiæ naturalis demonſtrauimus, nam quid abſurdius videtur quã in viſceribus terræ, in quibus metalla tenentur, nullũ aurũ ex alio gigni, nullũ metallum ex alio, & tamẽ extra procreari, cùm animantia ſint ad gignẽda animãtia aptiſſima, in ea parte quam occupãt, & non in alia? in ſententiã Marſilij non propellẽtur ij qui animaduertent hanc opinionẽ ſacris Scripturis prorſus eſſe diſſentaneam, ac non poſſe abſque graui in Deum contumelia affirmari. Conſtat enim ex Geneſi cap. 1. in prima creatione rerum, ipſum Deum, vim procreatricem ac ſeminalem, haud quaquam lapidibus & metallis, ſed plantis & animalibus indidiſſe: producat (inquit) terra omnem herbam virentem, & facientem ſemen,

& arborem pomiferam, quæ faciat fructum, iuxta genus ſuum: cuius ſemen in ſemetipſo ſit, ſuper terram, & verba quæ ſequuntur: quibus apertè colligitur ipſum Deum compellere animalia ad ſibi ſimilia, quantum fieri poteſt producēda, ſed non ipſa inanimata foſſilia, quæ his dotibus carent. Videtur enim per incluſionem plantarum ac animalium, ſanctiſſimus Dei Spiritus nobis voluiſſe interpretari, ipſum excluſiſſe lapides & metalla, à productiuo illo ſpiritu & virtute ſeminali, quam plantis ac animalibus ſuppeditare voluit. Incluſio enim vnius eſt excluſio alterius: arbitreris in curioſitatem Alchymiſtarum reſpexiſſe, atque hæc idcircò Deum feciſſe. Nec in tota mundi creatione vllam feciſſe foſſilium ſiue mineralium mentionem exiſtimandum eſt, ne ſi foſſilia ab illa virtute ſeminali per incluſionē ſtirpium ac animalium minimè excluſiſſet, occaſionem errandi hominibus nimium curioſis & ſtolidis ſuppeteret, ipſis exiſtimantibus, vitalem facultatē ac vim procreatricem, lapidibus ac metallis, non ſecus ac plantis & animalibus ineſſe. Id quod tamen poſteà factum vidimus: quando inſani Alchymiſtæ ſemper diſcentes ac nun-

quam ad ſcientiam peruenientes, lapidibus & metallis ſeminalẽ virtutem affinxerunt, & ad ſibi ſimilia producenda compellere tentarũt, at proh dolor! non ſolùm aurum gigni poſſe ab auro, argentum ab argento, metallum à metallo, lapidem à lapide fabulati ſunt, ſed ab vno omnia alia, non minus temerè quàm falſò, affirmarunt. His enim rebus nulla ſeminalia virtus eſt, vt neque vllis earum quæ vegetabilẽ non habent naturam, & fuerunt plantæ & animalia à Deo condita, vt ſemper deinceps certum ex certo, ſecundùm genus ſeu ſpeciem ſuam produceretur, ipſo aëre, ſolis & lucis beneficio promouente vim genitalem, terræ à Deo in prima creatione inditã. At verò Deus omnem vim ſeminalem metallis & lapidibus per creationem denegauit, & longè alium naſcendi modum ijs impertiuit, vt ſuo loco fuſiùs dicetur Quòd ſi in prima creatione nullam generandi & producendi facultatem impertiuit Deus metallis ac lapidibus [vt non impertiuit] nonne Alchymia illa quæ fundata eſt in ipſa virtute ſeminali metallorum, nulla eſt, & imaginaria? Quare rideant qui velint, cum inſano Libauio, plus apud me valebit ſacrarũ literarum

authoritas, plus veræ rationes, quibus Alchymiſtarum vanas has & futiles nugas confutauimus, quàm eorum vanæ opiniones; ſed non eſt cur longiores eſſe velimus, deſinant igitur Alchymiſtæ virtutem illam ſeminalèm quæ poſſit ſibi ſimile generare in metallis ac lapidibus quærere, laterem enim lauant, & nodum in ſcirpo quærunt.

Probatur alio Argumento, ex Geneſi petito, metalla differre, non ſolùm accidentibus, ſed etiam ſpecie. Et ideò Alchymiam quæ circa perfectionem metallorum verſatur, vanam eſſe, fabuloſam, & imaginariam.

CAPVT II.

Est aliud Alchymiſtarum genus, quod non ſe fundat in vi illa procreatrice ac ſeminali, quam alij vt dictum eſt contendunt eſſe in lapidibus & metallis, ſed cum ijs pugnantes, vt tranſmutationem illam, quæ fit per generationẽ eludant: ac illud axioma, ab omnibus rectè Philoſophantibus, citra aliquam controuerſiam, receptum: ſpecies in ſpeciem non tranſmutatur: contendunt

metalla in aurum abire posse, non equidem per præcedentem imaginariam virtutem seminalem, nec per eum generationis modum, qui fit cum transmutatione & tempore, sed modo longè nobiliori & perfectiori, si credere fas est. Isti igitur vt rem suam conficiant, negant metalla inter se differre specie, sed affirmant inter se differre tantùm accidentibus vt marem & fœminam, id est modo perfecti & imperfecti, & quodam digestionis aut indigestionis gradu, quòd omnia Metalla, ad vnam auri formã tendant quidem, sed in via deficiant, non solùm propter materiæ insufficientiam, sed etiam propter efficientiũ imbecillitatem. Sic ergo quæ ad primum concoctionis metallicæ, qualis est in auro gradum, peruenire non possunt, in secundis tertiisve concoctionis illius gradib⁹ subsistunt, & fiunt vel argentum, vel æs, vel stannum, vel plumbũ, vel ferrum. Probãt hoc inde, quòd metalla inter se mixta sint, & in omni auro, argentum insit, teste experientia, & auctoritate scriptorum. Sed quâm hæc sint manifestè, falsa, vana, & inania, vno argumento, ex sacra Scriptura petito, quo lector statim in contrariam plane inclinetur sentẽtiam

demõſtrari poteſt. Aut enim mũdus perfectus eſt, à ſummo creatore conditus, aut imperfectus: non imperfectus. Imperfectum enim mundum condidiſſe, nefas eſt ſapientiſſimum Deum dicere, niſi eadem opera, aut poteſtas, ac vis, & ſapientia, ei per ſummam impietatem detrahatur. Et hoc rationi minimè eſſe conſentaneum, nemo pius opinor negabit, præſertim qui Moſis (cui naturæ arcana atque initia rerum penitus abſtruſa, Deus detecta & luce meridiana clariora eſſe voluit) verba non oſcitanter legerit: ſexta enim die cùm vidiſſet Deus vniuerſa quæ fecerat, valdè eſſe bona, hoc eſt, perfecta eſſe declarauit, nihil excipiẽdo, (qui enim loquitur de vniuerſis nihil excipit) quid enim poteſt eſſe extra vniuerſale? & Deuteronom. cap. 32. legitur Dei perfecta eſſe opera. Quod ſi metalla perfici ab Alchymiſtis credẽdum eſt, cur Salomon Eccleſiaſtis cap. 3. rebus à Deo creatis nec addi quicquam nec detrahi poſſe contendit? nonne credibile eſt, quòd quẽadmodum Deꝰ creauit Adam & Euam, non infantes aut pueros, ſed robuſtę & firmę ætatis homines, ac oĩa alia animalia in ætate perfecta, ſic & protuliſſe in prima illa creatione rerum, flores,

fructúſque mites, non auium oua, ſed aues ipſas perfectas, non metalla rudia, inchoata, & imperfecta, ſed perfecta & ſua ſpecie diſtincta, vt nunc habemus? & decebat ſanè ipſum Deum qui crearat animalia perfectæ ætatis, & illis proferre etiam maturos fructus, quibus veſcerentur? & omnia ad vnguem perfecta producere. Beda etiam, ſiue quiſquis ille fuit qui gloſſàs interlineares nuncupatas conſcripſit, ad illud Germinet terra: omnia creata fuiſſe perfecta affirmat, & Ægidius Columnius ſcripſit parte poſteriore Hexamer. cap. 28. Eleaſar aliíque nonnulli menſi Septembri, mundi initia tribuêre, quòd fructus ac ſemina ad maturitatem perducat, vnde abſolutum Dei opus fuiſſe videatur. Quibus ex rebus breuiter diſputatis facilè intelligi poteſt ipſa metalla, tempore creationis, perueniſſe ad illum vltimum finem perfectionis & complementum, ad quæ ordinata ſunt, ab ipſo Creatore, nimirum vt fierent argentum, aurum, æs, plumbum, ferrum, & ideò luce clarius conſtare, ipſa diſtingui eſſentialiter, ac propriis differentiis, quæ diuerſas & inter ſe incommunicabiles formas efficiunt, quemadmodum eſt homo & brutum: Verum

dium est veluti quid informe nec certam in natura habet speciem: quod quid sit, ab authoribus non est traditum. At materia metallis proxima ea est, quæ nullarum aliarum mutationum interuentu à causa efficiente perficitur, & proximè formam metallicam induit, nondum tamen est metallum, sed aliam habet à metallo formam & vnica sola illius mutatione forma exsurgit. Quę autem sit illa materia proxima in mineris terræ, variæ fuerunt eorum, qui hac de re scripserunt, opiniones. Aristoteles enim tam sublimium, quæ super terram, quàm inferiorum, quæ in visceribus terræ gignuntur, duplicem exhalationem ait esse horum materiam. Exhalationem quidem à terra, quæ sit sicca & calida: & ab aqua vaporem, quæ sit frigidus & humidus: non sic tamen, vt exhalatio sicca humore destituatur, nec vapor humidus siccitate: sed in illa siccitatem, in hac humiditatem superare. Exhalationem igitur siccam dicit esse fossilium, vt sunt lapidum genera non liquabilia, sandaracha, sulphur, achra, rubrica, & alia eiusdem generis. Metalla autem ad vaporosam exhalationem pertinere ait. At vaporē illum, prius quàm in aquam vertatur, exhalatione coagulari & metallum fieri, idcircò metalla omnia exhalationem siccam continere, & inflammari & exuri, solo auro excepto.

Materia proxima metallorum.

Aristotelis opinio de materia proxima metallorum.

Halchemistæ verò proximam metallis materiam dicunt esse argentum viuum & sulphur,

Alchimistarum opinio.

ſulphur, tùm quod argentum viuum, fuſa videantur, & ex illis arte proliciatur argentum viuum, tùm quòd odorem ſulphureum ſpirent. Et eorundem opinionem multi graues viri ſecuti ſunt. Gilgil autem Maurus cinerem quendam terræ munitiſſ. aqua infuſum materiam eſſe metallis proximam profeſſus eſt, non ſecùs atque omnem cinerem materiam eſſe vitio proximam. Albertus verò humidum viſcoſum & tenax. Georgius Agricola has omnes de materia metallis proxima in mineris terræ opiniones refellit, & ſuccum in iiſdem mineris ortum, materiam metallis eſſe proximam, multis rationibus contendit. Scaliger metalla vocat terram aqueam, argentum autem viuum aquam terream. Quæ autem harum opinionum ſit verior, immorandum mihi eſſe non puto, cùm aliam argento & auro proximam materiam natura nobis exhibeat, vt ex ſequentibus eluceſcet. Si tamen quid ſentio dicendum ſit, Ariſtotelis opinioni & autoritati magis innitendum & fidendum exiſtimauerim.

Gilgilis opinio.

Albertī op.

Georgiī Agricolæ.

Scaligerī opinio.

Poſt metallorum materiæ cognitionem forma etiam eorundem inquirenda eſt, quæ nobilior eſt pars ſubſtantiæ illorum, vt & in omnibus corporibus naturalibus: Forma enim rerum omnium magis naturæ nomine quàm materia inſignita eſt, & ab ea ſola nomen vnicuique corpori naturali eſt inditum.

Formæ metallorum.

fieri non poſſunt vociferatur Philoſophia Moſaica, quæ Alchymiſtarum traditionibus nullo modo cõgruit, quibus habetur aurum eſſe finem aliorum metallorum & in ipſo temporis puncto atque momento poſſe vnum in aliud mutari.

Quibus aliis ſacræ Scripturæ locis probatur Alchymiam quæ circa metallorum tranſformationem verſatur, eſſe vanam, imaginariam, & fabuloſam, & naturæ ac arti prorſus impoſſibilem.

CAPVT. III.

QVoniam ex Alchymiſtarum turba non deſint qui inter ſe metalla differre ſpecie concedant, & nihilominus tranſmutationem eorum adinuicem admittant, ex quorum numero eſt Libauius. Mihi laborandum, vt recenſeam Sacrarum litterarũ locos, & Sanctiſſimorum interpretum auctoritates, quibus comprobem, tranſmutationes metallorum quas moliuntur Alchymiſtæ, vſque adeò excedere naturalem ac humanam potẽtiam vt procul omni dubio, eæ ſint ex eo-

rum

rum numero, quas Deus posuit in sua potestate, & quas speculationib⁹ inaccessas ac minimè peruias esse voluit. Quod etsi nemo mediocriter doctus ignoret, sitque ijs notum transformationē vnius perfectæ speciei, in aliam formam alterius, vel ipsis Angelis esse impossibilem, tamen ex ipsissimis sacris Scripturis (in quibus huiusmodi mutationes ad eiusdē vnius Dei immortalis infinitam potentiam pertinere, priuatiuè quod ad alios, satis ipsemet declarauit) clarius luce demōstrare est animus. Is igitur quando ei placuit manifestare suam potētiam infinitam, hoc maximè fecit, per transmutationem vnius substantiæ in aliam, per multiplicationem rerum, per suscitationem mortuorum, quasi tales operationes essent propriæ notæ suæ omnipotentiæ, quæ testificarent, ipsum esse summum naturæ Magistrum. Itaque in illa prima ostēsione suæ virtutis infinitæ, per Moysen mutauit virgam in serpentem coram Pharaone & Ægyptijs, aquas Ægypti in sanguinē mutauit, & vxorem Loth in statuam salis, per Elysæum multiplicauit viduæ pauperculæ oleum. Per eundem tempore famis, multiplicauit panes primitiarum, datos populo esu-

rienti, 4. Regum 4. Quid quòd ipſemet Dei Filius factus homo, volens manifeſtare ſe, & virtutem ſuam infinitam primùm oſtendere, aquam in vinum mutauit? panes & piſces multiplicauit? Quid quod & teſtimonio ipſiuſmet hoſtis generis humani, conſtat ſubſtantiarũ tranſmutationes, ſciebat ipſe diabolus humani generis hoſtis ad Deum ipſum ſolum pertinere? ſi Filius Dei es (inquit) dic vt hi lapides panes fiant. Probè enim tales trãſmutationes corporalium rerum non poſſe nec virtute naturæ, nec operatione dæmonum ſiue bonorum ſiue malorum ſecundũ rei veritatem perfici. Sed quid opus eſt, vt ex ſacris Scripturis alia recenſeam? cùm & Prophani, & Æthnici lumine tantũ naturali inſtructi, non ignorarint conuerſionem vnius ſubſtantiæ in aliam ad diuinam potentiam pertinere. Homerus, quem Æthnicorum ſapientiſſimum fuiſſe perhibent: Ouidius ipſe ac innumeri alij, Deos rerum ſubſtantias transformantes introducunt. In quam ſententiam Commẽtator ſuper ſept. Metaphyſ. ſcribit impoſſibile eſſe quod formæ ſeparatæ tranſmutent materiam. Sapienter quidem hæc omnia. Nam non minoris eſt potẽtiæ, rem vnam in aliam,

ſubſtantias ac creaturas, in alias transferre, quàm de nouo eas creare, & nemo eſt ex ſapiẽtibus quin ſentiat conuerſionem vnius rei, vnius creaturæ, vnius ſubſtantiæ in aliã, creationis eſſe ſpeciem, creare enim duplex eſſe cenſent. Sapientes alterum præcipuum ex nihilo aliquid facere: alterum ſine materiæ diſpoſitione præcedente, (quæ alterationibus & corruptionibus perficitur,) aliquid ex aliquo facere. Verum enimuerò aut repentina illa transformatio metallorum mutua quam moliuntur Chymiſtę, cùm non fiat per eum generationis modum, quæ fit cum transmutatione & tempore: neceſſe eſt vt fiat per creationis ſpeciẽ, nam genera eorum quæ fiunt, neque plura, ne cogitatione quidem fingi poſſunt. Subſtantia (inquam) non aliter poſſe videtur Sapientibus, quam per generationem, & creationis ſpeciem. Non autem per generationis modum fieri metallificium quod moliuntur Chymiſtæ contendent. Nam præter alia, ſupponenda eſſet virtus ſeminalis in metallis. Item cætera metalla ab auro non eſſe ſpecie diſtincta, cùm ſimile non generetur à diſſimili. Adde quòd generatio fit cum tranſmutione & tẽpore, vt dictum eſt, non autem

continuò & in ictu oculi, vt illa quam moliuntur Chymistæ. Quòd si per generationis modum non fiat, (vt non fit) necesse est vt fiat, per illum modum creationis quâ ex aliquo fit aliquid continuò & in ictu oculi. Quę cùm ad ipsum solum Deum creatorem omnium pertineat, sequitur Alchymistas inuolare in ea quæ Deus ipse posuit in sua potestate, & quæ speculationibus inaccessa, ac minimè peruia esse voluit. Ergo cum ipso Deo Gigantum more, temerè bellum gerere conantur Chymistæ, quæ omnia, vel ab occœcato Libauio non esse animaduersa, vehementer admiror. Cæterum transmutatio vnius speciei in aliam adeò visa est etiam Ethnicis ipsius naturæ ne dum arti humanæ impossibilis, vt quidem crediderint, cum Galeno lib. 12. de vsu partium cap. 14. quod neque seipse Deus velit ex petra fieri hominem continuò, id ei facere non liceret, impiè tamen dictum. Nam omnes pij verè & indubiè credunt quod quemadmodũ solius Dei est opus, ex nihilo omnia creasse, & formam rebus omnibus indere, & omnia eius nutu moderari & mutare: sic est solius & eiusdem materiam & formam à seipso creatam destruere, meliorem reddere, &

permutare. Quod ſi Alchymiſtæ materiam & formam nouam creare & mutare poſſent, & vnam ſubſtantiam in aliam tranſmutare, præſertim continuò & immediatè: Deum Opt. Max. potentia æquarent, (quod abſurdũ eſt & impium) déque Diuinitatis principatu cum eo certarent: nec ſolùm cum ipſo Deo, ſed etiam cum Dæmonibus ipſis, ſiue bonis, ſiue malis, qui tantum abeſt vt poſſint ſubſtantias, & corporalia in alia tranſmutare continuò & immediatè, quòd non poſſint vel mediatè & per applicationem naturalium agentium producere, ſic celeriter animalia imperfecta quæ ex putredine naſcuntur.

Ratum ſit igitur atque firmum, Deum eo ordine naturali quo omnia condidit, eodem regere & moderari, ſolúmque omnia immutare, cum lubet, vt hoc conuincunt mutationes memoratæ, & cœci, claudi, mortui, leproſi, quos contra ordinem naturæ reſtituit atque reparauit. Quæ Theologica opinio optimè congruit Philoſophorum traditionibus, vt ſuo loco abundè demonſtrabitur. Quibus iactis fundamentis meritò concludendum transformationes quas moliuntur Chymiſtæ eſſe nullas, vanas, &

impoſſibiles, ac debere numerari inter eas res, quæ non ſunt, nunquam fuerunt, nec poſthac eſſe poſſunt, vt Scyllæ, vt Chymeræ. Quòd ſi adhuc rationes atque argumenta nugator Libauius cum ſuis aſſeclis inuerecundè expoſcant, verendum eſt, ne in conſueta pertinacia ac peruicacia conſeneſcat, vt abire debeat in malam crucem nugator Libauius, nulla ratione, nullo prorſus probabili argumento contendens, Alchymicas tranſformationes, fundamentum habere in ſacris Scripturis, ac eſſe non ſolùm veræ ac diuinæ ſapientiæ, ſed & humanæ prorſus conſentaneas.

Refutatio argumentorum ex auctoritate ſacrarum Scripturarum ab Alchymiſtis corraſorum, quibus effrænata audacia audent Alchymiæ vanitatem defendere.

CAPVT IIII.

ET ſi ex tota Scriptura ſacra, nullus locus, nullũ indicium, nullum teſtimonium adferri poſſit, quod Alchymiæ transformationi patrocinetur. Quinimò non pauca ex ea peti poſſint, quibus eius va-

nitas & impotentia deprehendatur: non desunt tamen Alchymiæ patroni non minus impij quàm temerarij, quorum Coryphæus est nugator Libauius, qui Alchymiæ antiquitatem & veritatē siue potius vanitatem, sacrarum Literarum monumentis confirmare non verentur. Quare videndum quoque num ex congruis locis suas probationes desūpserint. Inter alia loca quæ ex sacra Scriptura accersunt, ad vanitatem suam confirmandam, est illud scriptum Esdræ lib. 4. cap. 8. Dicam autem coram te similitudinem Esdra, quomodo autē interrogabis terram, & dicet tibi quoniam dabit terram multam vnde fiat fictile, paucum autem puluerem vnde aurum fit, sic & actus præsentis sæculi: multi quidem creati sunt, pauci autem saluabūtur. Hæc sunt verba Esdræ, quæ perperam truncata & mutila in peruersam & absurdā sententiam protrahunt Alchymistę, & in meridiana luce sacrarum Literarū interpretes oculatissimos cœcutire & cęspitare volūt Contendunt enim per paucū puluerem Esdram Alchymię meminisse, & Deum apud ipsum Esdrā intellexisse Elixir illud siue Philosophorum quem appellant lapidem, quo in parua quantitate, cętera

metalla in aurum vertere tentant, quòd nunquã in mentem venit Esdrę, & hoc sit tam absurdũ, falsum, & à veritate alienũ, quàm impiũ, satis is perspiciet, cui non deerit vel minima locorũ sacræ Scripturę explicandi facultas, vel etiam Tironi qui rei de qua agitur naturã proprietatémq; attentè consideraucrit, & exactè verba Esdræ quæ clara sunt & aperta perpenderit, atque examinauerit. Rectũ enim sensum & Germanam dicti Esdræ intelligẽtiam, vel ex collatione antecedentium & consequẽtium, ita elicere poterit, vt intelligat ibi verba facere Deum de numero paruo saluandorũ, & de numero magno damnandorum, dicereque simile quiddam contingere mortalibus, quod terræ ipsi, quæ non sæcus atque plurima passim fit obuia, figulis vnde fiat fictile, pauca verò auri collectorib⁹ ex qua aurũ excoquatur, sic plurimos mortaliũ creatos esse, qui damnabuntur, paucos verò qui saluabuntur. Quod certè qui cœcus non est facilè aduertere poterit. Pręcesserant enim verba quæ ad Esdram responderat Angelus, quæ hæc sunt: Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos, quæ verba non minus impiè quàm perperam

dissimulauit Libauius, Robertum Vallensem sequutus, & superuolauit, vt non minus temere quàm falsò ad Alchymiam detorqueretur ab eo illud dictum Esdræ. Quod est tam clarum quàm quod clarissimũ, & significatio pulueris apud Esdram nullo modo refertur ad Alchymiam, sed ad naturalem auri ex terræ puluere productionem, & genuina significatio pulueris, cum apud Grammaticos, tum apud omnes Doctos, terram significat minutã & aridam, vnde Horat.

Puluis & vmbra sumus, metam properamus ad vnam. In quo significatu non solùm hîc apud Esdram accipitur, sed & passim in sacris Scripturis vsurpatur. Gen. cap. 3. quia puluis es, & in puluerem reuerteris, & Psal. 102. Recordatus quòd puluis sumus, & respexisse videtur Esdras ad rationẽ parandi aurum, Ex puluisculis aurũ continentibus, quos multi fluuij voluũt. Aurũ enim paucum ab arenis multis separant collectores, & elotum in fornacem fusoriam conuehunt. Ad quod etiam respexisse videtur illud Naumachij: argentum & aurum nihil quàm puluis sunt, & qui reperiuntur lapilli in calculosa crepidine maris. Adde quòd vbicunquè ferè au-

rum inuenitur ſiue in fluuijs, ſiue in fodinis, quaſi puluis inuenitur, vt inter alios atteſtatur Albertus in tractatu de mineralibus. Ita vt minimè opus ſit, hîc comminiſci puluerem Chymicum, & ſole clarius appareat non id ſcriptum Eſdræ dicere quod Alchymiſtæ cum tenebrione Libauio velint, ſed lõgè aliud. Prædictis adde quod eò minus poteſt trahi hic locus Eſdræ ad Philoſophorum quem vocant lapidem ſignificandum, quo magis cõſtat apud Eſdram paruum puluerem de quo ſermonem facit, eſſe materiam, ex qua aurum fit, non autem eſſe cauſam efficientem auri, qualem dicunt eſſe lapidem ſuum Philoſophicum ſiue Elixir. Dicunt enim eſſe materiam, per quam efficitur aurũ ex metallis aliis, dat enim formam auri cœteteris metallis, non ipſam materiã quam habẽt, ipſis tenebrionibus atteſtantibus, ad quod ſi reſpexiſſent occœcati, non tam apertè fortaſſe deliraſſent.

Sed ad alia monſtra debellãda accedamus. Libauius in defenſione Alchymiæ quem cõtra libellũ meũ refutatæ Alchymiæ edidit, nec non & in cõmẽtariis ſuis Alchymiæ, parte ſecunda, lib. 4. f. 85. ad veritatem & antiquitatem Alchymiæ

tranſmutatoriæ confirmandā, cum Roberto Vallenſi inſaniens, accerſit alium locū Eſdræ lib. 1. cap. 8. vbi ipſe Eſdras memorat, inter relata ex Babylone vaſa æris fulgentis optimi duo pulchra vt aurum. Hinc enim ipſe tenebrio non minus temerè quàm falſò colligit (neſcitur qua ratione vel quo probabili argumento) illa duo vaſa abſque dubio, opere Chymico fuiſſe conflata, & ex ære, aurum factum artificioſum. Bone Deus! quid hîc opus eſt Alchymiam comminiſci? quid iuuat hic locus ad veritatem tranſmutationis Alchymiſticæ confirmandam? quis præter bardum ac inſanum Libauium ex illis verbis Eſdræ, colliget illa duo vaſa fuiſſe conflata ex ære in aurum conuerſo? ſi id dicere voluiſſet Eſdras, quare appoſuiſſet aduerbium ſimilitudinis, vt, niſi, vt compararet illa duo vaſa auro? & diceret illa duo vaſa, ad ſimilitudinem auri, quoad colorem acceſſiſſe? num quod alteri comparatur eíque ſimile eſt, quis idem id ipſum iure probèque ſenſuerit? num omne quod eſt ſimile auro eſt aurum. Solet dici in communi prouerbio, omne ſimile non eſt idem. Diſcat igitur ignauus Libauius cum omni caterua

ſtultorum Alchymiſtarum verba Eſdræ ſic interpretanda vt dicere voluerit, illa duo vaſa fuiſſe confecta, non ex ære in aurum opere Chymico mutato, [vt temerè interpretatur Libauius] ſed ex ære ad colorem auri ita accedente, vt aurum ipſo colore referret. Quale erat quod Orichalcum dicebatur, olim in maximo pretio habitum, & quale ipſe Plinius ait lib. 34. cap. 2. præcipuam bonitatē admirationémque diu obtinuiſſe, & quale ipſemet tenebrio Libauius refert ex Ariſt. lib. de mirabilibus, apud Indos æs adeò lucidum & purum eſſe, vt colore ab auro non diſtet, & in Darij poculis cados nonnullos inuentos, qui nec alio pacto quàm odore, ænei ſint an aurei cognoſci potuerint. Non ergo ex congruo loco Eſdræ, argui poteſt Chymicæ artis, vel veritas, vel vetuſtas. Nō veritas: Nam hîc nulla fit mētio æris in aurū conuerſi: non vetuſtas, nam non conuincuntur illa vaſa ex ære in aurum arte Chymica conuerſo, ſed potiùs conuincuntur confecta fuiſſe ex natiuo illo foſſili Orichalco præſtantiſſimo, quod antiquitus reperiebatur in pluribus locis, vt ſcribit Plinius lib. 34. cap. 2. & quod apud Indos reperiri tradit ipſemet tenebrio Liba-

uius ex Aristotele. Quod vt etiam scribit Seruius Grammaticus metallis fuit olim prætiosius. Plautinum illud aduocans ex milite: Ego istos mores Orichalco comparem. Quin ita quoque in Plauti Fabula Pseudolo adnotatum reperitur: Dij immortales Orichalco contra non carũ fuit meum mendaciũ. Si tamen adhuc contendat Libauius, vt cõtendit Comment. magnæ Alchymiæ part. 2. lib. 4. f. 85. obstare Plinium ne vasa illa Babylonica, & Indica ex natiuo Orichalco dicas esse confecta, quod idem Plinius lib. 34. cap. 17. neget, æs, & plumbum in India nasci: discere poterit ibi non negare Plinium Orichalcũ in India inueniri, sed æs. India (inquit) neque æs, neque plumbum habet, gemmísque suis ac margaritis hæc permutat. Nec dicat æs & Orichalcum idem esse. Inter se enim non secus distinguntur quam stannum & plumbum, & quando negaret Plinius, Orichalcum in India inueniri, præterquam quod id sibi nisi ex auditu vel lectu cõpertũ negaret, ipsi Plinio opponeretur ipse Aristoteles loco ab ipsomet Libauio suprà adducto ex libro de mirabilibus. Quin & opponeretur ipsi Plinio. Diod. Siculus qui lib. 3. Biblioth. in India Orichalcum nasci

ſcribit. Præterquam quòd adhuc hodie apud Indos Oriẽtales effoditur Orichalci genus Lucidiſſimum colore ab auro minime' diſtans. Ex quo non multos ante annos, annulũ confectũ mihi oſtendebat Neapoli amicus meus intimus Chriſtophorus Lopes Luſitanus, quem narrabat Indos maximè cõmendari ad oculorum vitia. Meliorem enim partem ætatis in ipſa India conſumpſerat. Habeo adhuc etiã in ſcrinijs quam ipſe dono mihi dedit, ex Orichalco Indico garrulam cymbalam totam ſphæricam & intus concauam, omni ex parte æquam adeò miro artificio conflatam, vt etiam manu detenta & mota, ſonum edat ſuauiſſimum. Ob cuius rarum artificium ipſam ſoleo ſæpiſſimè etiam Magnatibus & Principibus viris oſtendere, ſcribunt etiam Itinerarij nauigationum, etiamnum hodie effodi Orichalcum in Funduribus qui tractus eſt inter Mexicum & Dariem. Vnde inter aurum & æs quæ extrema ſunt, Orichalcum conſtituere voluiſſe naturã non perperam ab aliquibus creditum eſt. Sed eſto vaſa illa ex Orichalco non natiuo, ſed arte facto, confecta eſſe. Quid ad Rhumbum? quid ad confirmandã tranſmutationem

cæterorum metallorum in aurum, de qua hîc quæritur? equidem ſiue fuerint illa vaſa cõflata ex Orichalco natiuo, ſiue ex artificiali illo & ære purgato, de quo erant omnia vaſa, quæ fecit Hirã de Tiro, artifex ærarius (plenus omni ſapientia, intelligentia, & doctrina) Salomoni in domo Domini, propter quorum multitudinem nimiam non erat pondus æris, vt habetur Reg. 3. cap. 7. Hæc indigna ſunt, quæ ad veritatem & antiquitatem tranſmutationis metallicæ (de qua hîc quæritur) fulciendam proferantur. Sed ad alia, conclamatæ etiam dementiæ & temeritatis fuerit Diuum Ioan. Euangeliſtam inter eos qui artem Chymicam exercuerunt enumerare, & verba proſæ quæ ab Ecclefia decantatur die eiuſdem ſacro, menſe Decembri, authore Adamo à Sancto Victore, in peruerſam & abſurdam ſententiam protrahere, ac Alchymiæ vanitati tribuere, quod Diuinæ potentiæ adſcribi debet. Verba Proſæ ſunt quæ ſequuntur.

Cùm gemmarum partes fractas
Solidaſſet, has diſtractas
Tribuit pauperibus
Inexhauſtum fert theſaurum

Qui de virgis fecit aurum
Gemmas de lapidibus.

Quæ vmbra veritatis in hoc figmento? quæ ſpecies probabilitatis in hoc mendacio? pudeat igitur Robertũ Vallenſem cum ſuis Sycophantis Alchymiſtis tanta mendacia ſpargere, quæ quiuis qui communi ſenſu non careat, ſtatim deprehendat, & qui in re tam aperta & manifeſta tam ſplendidè mentitur, quid ei credendum quis cenſeat, cum res ſerias narrat? an religioni duxerit, quicquid in buccam venerit effutire, cui larga ſit in hoc genere mentiendi facultas, narrauerunt mihi (inquit Pſal. 118) iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua Domine quæ longiſſimè abeſt â fabulis, vt & illi qui hanc legem tanquã regulam ſibi ſequendam proponunt, ab iſta lege cum deflectant Alchymiſtæ, mirandum non eſt, ſi in fabulas & inſanias falſas effunduntur. Abeant igitur in malam crucem Libauius cum Roberto Vallenſi ac alijs tenebrionibus ſacræ Scripturæ teſtimonia ad vanitatem Alchymiæ fulciendam non minus impiè quàm perperam vſurpantibus, & veritatem ad vanitatem detorquentibus.

Falſum

Falſum commentum Alchymiſtarum, & inſtabile figmentum, qui per verſus Sibyllinos, tentãt inferre probationes Alchymiæ.

CAPVT. V.



Ed nec Sybillę myſterium Alchymiæ tacuerunt, ſi inſanis Alchymiæ fautoribus, fides adhibeatur, qui materiam ſui lapidis Philoſophici, ſeu potius ſtultifici, in Sibyllarum verſibus, literarum, numerorúmque myſticorum velo occultari gloriantur. Quos antequã verſus refero, eſt animaduertendum, ea verba eſſe, quibus ipſe Deus Nohæ de ſe ipſo alloquitur, ſecundùm Sibyllam. Quæ vt omnia alia, in peruerſam & abſurdam interpretationem protrahunt Alchymiſtæ. Verſus Sibyllini hi ſunt.

Sunt elementa nouem mihi, ſum tetraſyllabus en me
Percipe: quæq; trium primarũ ſyllaba, conſtat
Duntaxat binis elementis: cætera reſtant
In reliquis: quorũ ſunt non vocalia quinque.
Totius numeri, bis ſunt hecatontades octo,
Et treis decades cum ſeptem. Si ſcieris me,
Ignarus ſophiæ non potes eſſe meæ.

Cùm hîc Deus moneat Noham, nomeñ ſuum admirabile in myſterijs ho-

rum versuum latere, nihilominus hos versus adducunt Alchymistæ, vt probent ibi Deum per Sibyllam loquutum esse, de materia lapidis Philosophici, quo cętera metalla in aurum verti contēdunt. Quod cùm sit tam alienum à Sibyllina mente, vt pugnare cum ea magis nihil possit, miror qua fronte ausus fuit Emarus Ranconetus olim Præses Lutetianus, hos versus Sibyllinos, qui de nomine Dei concionantur, ad materiam lapidis Chymistarum detorquere. Is igitur apud Cardanum lib. de varietate rerum, ex his versibus magnum Alchymiæ mysterium lapidísque Philosophici fundamentum se patefecisse arbitratus, ex serie & discrimine literarum, & summa numerorum qui illarum notis significantur Arsenicon enim ex ijs detexit, non minori futilitate quàm subtilitate. Cùm enim nomen quod in obscuritatis latebra delitescit, nouem constet literis, ac quatuor contineat syllabas, quarũ tres primæ duas tantùm habeant literas, quarta verò reliquas, hoc est tres quæ restent, & cùm inter illas nouem literas quinque sint consonantes, quatuor verò vocales, in hoc nomine Arsenicon, omnia pulchrè congruere cum literarum

ratione, ratus est Ranconetus. Sed quia vidit, à numero mystico adhuc discrepare, & ideò magnam immutationem fieri necesse esse, antequam illi numeri Sibyllini Arsenico conuenirent: ad inania & ridicula interpretamenta conuertit animum, & vt rem suam conficeret, ex solis consonantibus, non autem ex omnibus nouem literis, numerum nominis mystici latentis eruere tentauit. Quod tamen est contra mentem Sibyllæ, quæ est vt ex summa omnium literarum, nomen latens mysticum eruatur. Itaque cùm præsupponat Ranconetus numerum nominis latentis esse trecēta & septuaginta, & talem numerum ex ipsis consonantibus (nescitur qua ratione) elici debere, ob id arbitratus est Arsenicon, nomen esse velatum. Sed quia vidit numerum collectum ex quinque consonantibus superare numerum sibi propositum, ideò, sumpsit tantùm semel literam, n, ita vt altero, n, abiecto, conficiat præsuppositum numerum trecentorū septuagintorum. Nam assumptis, r, s, n, c, tantumdem conficitur apud Græcos. R, enim significat centum: s, ducenta: n, quinquaginta, c, viginti. Collecta faciunt trecenta & septuagin.

ta, & ſic, vt dictum eſt, ex ſerie & diſcrimine harum literarum & ſumma numerorum, qui illarum notis ſignificantur, magnum Alchymiæ arcanũ, ſe conſequutum eſſe arbitratus eſt Ranconetus. Verùm quòd falſum commentum & inſtabile figmentum ſit, & quod pueriliter in ijs ſe exercuerit Ranconetus, & ex ſerie & diſcrimine literarum & ſumma numerorum qui ſecundùm Græcos in literis continentur, perperam tentauerit inferre probationem Alchymiæ, ex pluribus patere poteſt. Primò errat toto cœlo in colligendo numero deſignato, in ipſis verſibus. Nec videtur percepiſſe genuinũ ſenſum verborum, nam bis octo, Hecatontades efficiunt, bis octingenta, hoc eſt mille & ſexcenta, & ter tres decades efficiunt nonaginta, quibus omnib⁹ additis ſeptem, quæ in dictis verſibus continentur, totus numerus erit mille ſexcenta nonaginta ſeptem, qui numerus longè ſuperat numerum præſuppoſitum à Ranconeto, trecentorũ & ſeptuagintorum. Et quem ex conſonãtibus nominis Arſenici ipſe cõfecit. Adde quod nulla adducta ratione ex ſolis conſonãtibus, numerum myſticũ conficit, qui tamen ex omnibus

nouem literis iuxta mentem Sibyllæ conficiendus esset. Prætereà qua ratione, quáve autoritate alterum n, abijciat, præsertim cùm hoc minimè Sibylla dicat? cur etiam abiicit & omittit illud septē in ipsis versibus appositum? Quid sit veri igitur in hac re minimè videt Ranconetus, sed fallit & fallitur, errat turpiter, labitur, & egregiè delirat. Quod si in digitos mitterentur multa nomina quale est hoc Argyritis, reperirentur & literarum ratio, & numeri Sibyllini, non minus illis conuenire quàm Arsenico, vt hîc videas per multa vagari vana, sub diuino nomine, quod sub literarum & numerorum notis mysticis conditum, nobis relinquere Sibylla voluit. Ad quod diuinum nomen consequendum, diu, multúmque multi viri sapientissimi, varia Dei nomina in digitos miserunt: at repererunt, quæ cùm literarum ratione consentirent à numero vero discreparent. Solus Auratus Gallus, Poeta Regius nostris temporibus, videtur rem acu propius tetigisse. Non enim dubitat nomen Græcum Theos Soter, hoc est, Deus Seruator, hîc significatum. Quòd literis nouem, quatuor syllabis, quarum tres primæ duabus literis, quarta verò

tribus constet. Quarum literarum quinque sunt consonantes, quatuor verò vocales. Cui nomini etiam numeri Sibyllini conueniunt, modò versus penultimus legatur cum Aurato sic: & ter tres decades cũ binis: si scieris me. Nam vbi apud alios legitur cum septem, apud ipsum Auratum legitur cum binis, & sic tota summa numerorum ascendit ad 1692. quæ est summa requisita in dictis versibus Sibyllinis, si vt legit Auratus, legantur, vt dictum est.

Θ	9.
E	5.
O	70.
Σ	200.
Σ	200.
Ω	800.
T	300.
H	8.
P	100.
Tota summa	1692.

Verùm vt ingenuè dicam quod sentio, nec arbitror Auratum scopum attigisse, nec nomen compositum, sed simplex à Sibylla intelligi. Vt videtur re-

pugnare ille verſus penultimus, qui apud Græcos & fideles interpretes, vt dixi, aliter atque apud ipſum Auratum legitur. Nec quod ad hunc numerum ſeptem videtur locus hic in verſibus corruptus, cæterum de fide verſuum Sibyllinorum, & cur potiùs ad literas, & numeros Græcos, quàm Hebraicos ſe accõmodauerit Sibylla (cum parſit Deum loquutum eſſe Nohæ Hebraicè, non autem Græcè) alibi Deo dante dicemus.

Ad Ranconetum redeo, qui cum Sibyllarum oraculis artem Chymicam ſe hauſiſſe profiteretur ſatis impiè, & eſſet non minus Aſtrologiæ iudiciariæ, quàm Alchymiæ vanitatis aſſertor egregius, occulto & incomprehenſibili Dei iudicio pœnas dedit, & vanitatis, & nimiæ curioſitatis, ne dicam impietatis. Permiſit enim Deus vt Carnificis manu ob perpetratũ facinus execrãdum vitam finiret. quod tamen ne per vmbrã fuit quidem, vel ab ipſo, vel à Cardano Aſtrologorum iudiciariorũ Coryphæo animaduerſum, in genitura ipſius Ranconeti, quam ipſe amicus olim ediderat, vt tandem animaduerſa fallacia ac vanitate Aſtrologiæ dicere potuerit Ranconetus.

Ah miſeros! qui ſigna notăt & ſydera ſpectăt,
Et ſpes inde hominum vanaq; vota trahunt.

Quod Ranconeti infortunium, vt huc transferam non aliundè deſumam quàm ex ipſius Cardani verbis, libro quarto eorum quos de vtilitate ex aduerſis capienda conſcripſit. Lutetianus Præſes Emarus Ranconetus (inquit) tam infelix fato quàm eruditione inſignis, nulli officijs, nulli virtute ſecundus, & tamen carnificis manu ſpiritum deponere coactus, ita parcæ definierunt iniquæ, vt cui in alios vitæ, necíſque arbitrium fuerat, à Collegis necis iudicium ipſe ſubiret. Hæc Cardanus. Accepi tamen à fide dignis, non carnificis manu ſpiritum depoſuiſſe Ranconetum, ſed necem ſibi conſciuere coactum eſſe, comeſta carne bubula cruda, poſt longam inædiam ſibi imperatam, idque propter ſcelus infandum.



Non esse adhibendam fidem Alchymiæ tanquam reuelatæ.

CAPVT VI.

QVæ tribuenda ſit auctoritas, fabulamẽtis Alchymiſtarum ex ſacris Scripturis ſatis demonſtratum eſt. Vt nihil iam ſupereſſe videatur, cur ſe illis homo ſapiens dedat, neque oracula putãda ſunt, quæ velut parùm ſacris Scripturis conſona confutauimus, neque ea velut diuinitus reuelata ſuſcipiemus, principes Alchymiſtarum imitati, qui ſua deliramenta non niſi ex diuina percipi poſſe reuelatione opinantur. Nam teſte ipſo Gebro, Alchymiſtarum principe ipſo, Seniore, & aliis Alchymiæ ſcriptoribus, Alchymiæ ſcientia, non eſt niſi perfecta inſpiratio diuina, & arcanum Dei glorioſi, qui eam largitur, & ſubſtrahit, cui vult, & qui aliter lapidem tentat (inquiunt) & aliter ſe inuenturum cõfidit, egregiè inſanit. Sed mirum mihi non videtur vanorum ac impiorum dogmatum aſſertores reuelationi diuinæ tribuere, quæ ad Demonum impoſturas

referenda ſunt. Sic Raymundus, Rupeſciſſa, & alij, artem iactant ſe habuiſſe à Deo, cùm decepti fuerint à Diabolo, non enim Deo, ſed nec inuentore homine digna eſt Alchymia, vana, falſa, ridicula, repugnans & diuinis literis, & principijs omniũ verarũ doctrinarum: vt ſuo loco diximus. Sed ad illud reſpondeãt quæſo Alchymiſtæ: ſi Alchymia non eſt niſi inſpiratio diuina, ac arcanum Dei glorioſi, nec poteſt innoteſcere libris, vt aſſerunt, cur tot libri fuerint ab Alchymiſtis cõfecti? fruſtrà equidẽ, quia nemo aſſerere auderit certam & determinatam fuiſſe intentionẽ ſcribentium, hanc, vel illam, niſi cum actu iam illam habet, aut iuxta eſt. Ita omnis luditur opera Chymiſtis qui per ſcripta, ex hac arte fructum aliquem percipere ſperant. Niſi tam fœlici ſydere nati ſint, vt per reuelationem diuinam eius ſcientiam adipiſcantur. Ad quid igitur perditio pretioſi temporis! ad quid tot Chymiſtarum Myriades, Alchymiã ænigmatibus & figuris obſcurarunt? nonne tot Alchymiſtæ, ænigmatibus & figuris artem tradentes; eam videntur ignoraſſe potiùs, quàm noſſe? num eſt poſſibile vt tot quot Alchymiſtæ de Alchymia


ſcripſerũt, & lapidem illum Philoſophorum ſibi arrogarunt, fuerint omnes, tam fœlici ſydere nati, vt per reuelationem diuinam, Alchymiæ ſcientiam adepti ſint? ijq́ue ferè omnes Pagani, Idololatræ, Sarraceni, Mahometiſtæ, Magi, Necromantici, & Diabolici viri, quorum libri atteſtãtur (ſi credere fas eſt) huius ſcientiæ peritiſſimos fuiſſe? credendúmne eſt eam ſcientiam à Deo reuelatam, ab ijs impuriſſimis hominibus potiſſimum ad nos Chriſtianos, & Dei filios dimanaſſe? faceſſat Euualdus Hoghelande Alchymiſta, inculcans, prædictis impuris hominibus, pietatem quamuis præpoſteram, non defuiſſe. Virtutibus maximis, eos floruiſſe, & à ſceleribus abhorruiſſe: & nos ſcire etiam Turcas plus hodie deuotionis habere, & maiori cum reuerentia, templa, & ipſa ſacra loca adire, plus etiam fraternæ charitatis egenis, & miſeris, exhibere, quàm multò maximam Chriſtianorũ partem. Itaque mirandum non eſſe, ſi Deus qui intentiones hominum non ſecus atque opera ipſa inſpicit, illos victorijs ſpecioſiſſimis, & hac ſcientia omnium pretioſiſſima, & aliis denique beneficiis & donis temporalibus remuneratus ſit, quanquam verum Dei

cultum ignorauerint, deinde præstare, falsum Deum habere quem veneretur quis & colat, & cuius timore prauæ hominum voluntates & maleficia coerceceantur, quàm nullum: hęc Hoghelãde, cuius ineptissimarũ blasphemiarũ prodigiosis mendacijs hoc vnum breuiter respondeo, tantùm abesse, vt hi Magi, Necromantici, Alchymistæ, & impij potuerint pietatem coluisse, & à sceleribus abhorruisse, vt hi perierint in impietatibus suis. Pietas certè penes illos est, qui non vasa Diaboli, sed membra sunt Christi, cæterum cùm impossibile sit libros Alchymistarum de hac arte conscriptos intelligi posse sine diuina reuelatione, vt ipsimet dicunt, quid opus istis libris? nonne potest Deus æquè benè reuelare hanc artem cuiuis libros istos nòn habenti? & profectò verum dicunt, non posse eorum libros intelligi, sine reuelatione diuina, ne quidem ab ipsis qui scripserunt. Nam vt ipsimet fatentur & scribit Geber cap. vlt. sum. per. immiscent falsa veris, & vera falsis, nunc diminutè nimiũ, nunc superabundenter, & sine ordine, & sæpius præpostero, & nituntur omnia obscurè tradere, & occultare quantum

possunt. Nec id ipsum diffitentur alij Alchymistæ. Sic enim author viæ vniuersalis. Libri istius scientiæ non sunt scripti ad doctrinam ipsius, sicut libri aliarum scientiarum, sed sunt tantum quantum figuræ ipsius scientiæ. Rosinus ad Eutichũ: scitote quòd Philosophi nunquam verum verbum posuerunt, quin plurima cum eo falsa commiscerent. Sed non est in persequendis his nugis tempus conterendum. Quòd etsi ars esset vera, & si fortè persuasio aliquem cœpisset, vt putet sibi posse prodesse libros de Alchymia scriptos, in quibus, falsa sunt veris immixta: dicat quæso, quo Lydio lapide, nisi cœlitus demisso, vera possint à falsis discerni. Quòd si non potest veritas à falsitate discerni, nisi per diuinam reuelationem, quid libri nos iuuant, dum in colluuie mendaciorũ, latet illa de cœlo suscepta, cœlitus veritas? nonne putabuntur illa mendacia, à Dæmone mendaciorũ patre, potius quàm à Deo insufflata? hinc Raymundi, Rupescissæ, ac aliorum insaniæ confutantur, qui diuinitus Alchymiæ scientiam sibi collatam fabulantur. Deus enim mendaciis etiam minimis offenditur, tantum abest vt cùm men-

dacem videat, cum eo currat, ſed non fuit in confutandis his nugis tantũ operæ inſumendum, cùm nemo non intelligat niſi tardiſſimus, hæc deliria eſſe hominum, ſuis ſomnijs fidem ſic mancipantium, vt quæ nulla ratione protulerunt, ea reuelatione diuina confirment. Porrò ad illud quæſo reſpondeant: cur non aliæ quoque artes atque ſcientiæ, nec non & egregia inuenta, per iſtam ad nos reuelationem non deuenerint? ſed ingenio poſteriorum excogitata, ſtudij ſecuta diligentia, conſummata ſint? an in vna Alchymia quaſi vtiliore diuinæ hoc nobis prouidentiæ munus obtigit? verùm (quod non ſolet) dormitaſſet illa prudentia, non animaduertens fruſtrà creaſſe metalla ad eum propagationis modum quem occultum eſſe hominibus voluit. Quòd ſi impoſſibilis eſt huius propagationis modi cognitio, niſi per diuinam reuelationem, quomodo verum eſſe poterit quod dicitur, Deus & natura nihil faciunt fruſtrà. Nonne Deus & natura aliquid fruſtrà, & otioſe egiſſe apparebit. Quod equidem non poteſt abſque graui in Deum contumelia affirmari.

FINIS.





ALCHYMIÆ METALLORVM TRANSMVTATORIÆ VERITAS ET ANTIQVITAS AB ALCHYMISTIS iactata, impugnata, & expugnata.

Per Nicol. Guibertum Lotharingum, Doctorem Medicum.

Quod veritas Alchymiæ quæ circa metallorum tranſmutationem verſatur, non poſſit authoritate vetuſtatis defendi.

CAPVT I.

ALCHIMISTÆ tranſmutationē ſuam metallicā authoritate vetuſtatis tueri perperā nitūtur cum Libauio, necnon & alijs fautoribus Alchymiæ, cùm venerandæ vetuſtatis nemo ſit, qui de metalli-

ficio mentionem aliquam fecerit, vel qui literarum monumentis teſtatum reliquerit quidpiam, quod ad Alchymiam tranſmutatoriã, quam moliuntur Chymiſtæ, pertineat. Quin nec ante annos ſexcentos nemo repertus eſt vſquam, qui ſcripſerit, quando inuẽta Alchymia fuerit, vel vbi vixerit, qui aurum vel argentum primò arte Chymica procudere tentauerit, ac ridiculas, abſurdas, & à natura abhorrentes metallorum tranſformationes commentus fuerit. Et optima quidem ratione factum eſſet, vt vnà cum ſuo inuentore Alchymia ſepulta fuiſſet. Quandoquidem nec iſta vana ars, nec author tam infamis & diabolici figmenti digni fuerunt, qui per hominum doctorum ora volitarent. Quòd tot malorum, quot hodie videmus, viderunt ſuperiora ſæcula (viſura ne ſit poſteritas faxit Deus) cauſam præbuit, & totius quaſi orbis peſtem accerſiuit hæc vanitatum vanitas. Sed demus inualuiſſe hanc vanitatẽ etiam à primis tẽporibus, vt quidam ex ijs qui fidem huic vanitati facere volũt, ſibi perſuadẽt. Quid tamen hoc referret, ad veritatẽ tranſmutationis metallicæ aſſerẽdam? nulla aduerſus veritatem tẽporis præſcriptio. Et vetuſtas

ſine veritate eſt inueteratus error. Conſtat tamen figmentum Chymicum, non quo paſſim ab Alchymiſtis traditur tempore excogitatum fuiſſe. Nam veterum tam Græcorum, quàm Latinorum (vt alios prætercam) non pauci ſuperſunt libri de rebus diuerſis, at quis quæſo vel color tenuis in illis, qui ad aurum vel argentum arte Chymica parandum pertineat? tantum enim abeſt, vt hiſtoriarum vel vllius memoriæ fide, metallificij ſolam vmbram fuiſſe antiquis notam oſtendi poſſit, vt nullus ex Græcis, nullus ex Latinis ſcriptoribus, nullus ex Arabum familia, qui ante annos ſexcentos vixerit, nullus ex Hebræis extitit, qui aliquid, quod ad metallificium Chymicum pertineret, ſcripſerit. Quòd ſi antiquis innotuiſſet ſtudium tranſmutationis metallicæ, equidē ita res haberet: quiſpiam ex tot tantíſque ſcriptoribus non ſiluiſſet: maximè ex ijs qui multi fuerunt in naturalibus, in artificialibus, & inuentis etiam minimis explicandis, & qui rem prætermiſerunt nullam de qua non aliquid ſcripſerint: inter quos non poſtremus fuit Plinius, ex Latinis, qui cum quicquid vſpiam eſt, ſiue cœlis surſū hæreſcat, ſiue terræ deorsū incumbat

ſiue liquidum ætherẽ ſuſpiciat aut aquarum demerſum vndis degat, ſiue ſit denique artis opus eximium ſiue naturæ minimum, non ſiluerit; ſed id omne mira verborũ breuitate explicuerit, longè (vt par eſt) de tam admirabili inuẽto aliquid prædicaſſet, nec metallificium Chymicum ſilentio inuoluiſſet. Quod ſi non parandi rationem explicauiſſent nobis tot tantíque veteres ſcriptores: ſaltem, quemadmodum cætera, quæ eorum ætate in vſu erant inuenta, alij ex alijs de hoc nõnulla ſubnotaſſent. Nam quid quæſo de tot tantíſque & Græcis & Romanis ſcriptoribus exiſtimandum eſt? Nunquid hi admirandam illam artem ſpreuiſſe videri poſſunt? Cum apud eos tot tantáque minora inuenta nominata ſaltem? an tot tantíque ſcriptores, qui de tot tantíſque rebus etiã minimis ſcripſerunt, negligentes adeò parúmque oculati fuiſſe videntur, vt ne vllum verbum quidem ſcripſerint, quod ad tranſmutationem metallicam pertineret? Malè quidẽ de nobis eſſent meriti, ſi rem tam expetendam támque admirandam vt meritò cæteris omnibus inuentis anteferri poſſit celauiſſent nos, nec vllum verbum quidem quod

ad hoc pertineat, ad posteros transmittere voluerint. Non autem audiēdi sunt Alchymiæ transmutatoriæ fautores qui ex Iulio Firmico, ex Plinio, ex Suida, & alijs, atque ex libris multis qui antiquis scriptoribus tribuuntur, antiquissimum esse Alchymiæ nomen, & metallificium ipsum pronunciant. Vt mox luce clarius ostendetur.

Quòd ad Alchymiæ antiquitatē & veritatem ostendendam nihil faciat expeditio Argonautica in Colchidem ad tollendum Vellus aureum.

CAPVT II.

AD antiquitatem & veritatem Alchymiæ transmutàtoriæ ostendēdam proferunt Alchymistæ, vnà cum nugatore Libauio fabulam Velleris aurei, ad quod auferendum, ipse Iaso cum reliquis Heroïbus præparata Argo naui Colchos profectus est, anno mundi 2714. referente Libauio in examine Parisiensis Scholæ. Qui id desumpsit ex Suida, qui de ipso Vellere aureo scriptum

reliquit, quod erat liber in velleribus conſcriptus, continens quomodo per Chymicam fieri deberet aurum. Quaſi verò ætate Argonautarum fuerit iam ita nota Alchymia metallorum tranſmutatoria, vt de ijs quæ ad eandem pertinerent, Poetæ ſuas fabulas ſcriberent. Hoc eſt tam falſum & fabuloſum, quàm quod falſiſſimum & fabuloſiſſimum. Multi equidem fuerunt veteres Argonauticorum ſcriptores, multi eorum expoſitores, multi mythiologici cum Græci, tum Latini, qui de hac expeditione Argonautica multa & varia prodiderunt. Sed ex tot tantiſque nemo vnquàm fuit, qui ante fabuloſum Suidam, ad Alchymiæ vanitatem, Vellus aureum traduxerit. Maior enim pars veterum de hoc Vellere aureo ita fabulantur, vt dicant, quòd Phryxus, Athamantis ex Nephele filius, cùm nouercales inſidias ferre non poſſet, cum Helle ſorore profugit, acceptóque à patre ariete, cui Vellus erat aureum, eóque conſcenſo; cum in Aſiam traiicere vellent, Helle puellari timore exterrita, decidit in mare, quod ex eius nomine Helleſpontũ appellauit: Phryxus verò incolumis in Colchidem peruenit, ad regem Aetem, ſiue Aetam, vt etiam

docet Iuſtinus Hiſtoriographus lib. 4. vbi Ioui, vel vt alijs placet, Marti immolauit, Vellúſq; illud aureum in templo ſuſpendit. Quod poſteà Iaſon, Medeæ ope adiutus abſtulit, cùm ad id auferendum eò eſſet profectus, cum reliquis Heroibus, præparata Argo naui, vt dictum eſt. Quæ tota hæc fabula latiùs deſcribitur ab Apollonio Rhodio Alexandrino, in Argonauticis, qui quia Rhodi commoratus eſt, ideò Rhodius nominatur, Strabone authore. Callimachi diſcipulus fuit, æqualis Eratoſthenis, & Euphorionis, & Timarchi, ſub Ptolomæo, cognomento Euergeta, ſucceſſor Eratoſthenis in Alexandrinæ Bibliothecæ curatione. Item & à Valerio Flacco in ſuis Argonauticis, qui vbi de aurei Velleris receptione loquitur, Vellus aureum fuiſſe Phryxææ monumenta fugæ tradit. Idem ſcriptum reliquit Achilles Statius lib. Thebaidos hoc verſu:

Et durum Phryxæi Velleris aurum

Idem Ouidius lib. 7. Met.

Dumque adeunt Regem Phryxæáque Vellera poſcunt.

Sed quid plura? Palephatus antiquiſſimus ſcriptor, inter ea, quæ fidem non capiunt, Vellus aureum fuiſſe tradit: &

huic fabulæ locum datum esse ex Phryxo & Helle etiam scriptum reliquit.

Palephatum autem fuisse antiquissimum scriptorem, hoc argumento constare potest, quòd Palephati testimonio, Virgilius ad Messalam scribens vtitur.

Docta Palephatia testatur voce papyrus.

Sunt & ex antiquis qui hanc fabulam de Vellere aureo aliter atque aliter exponunt. Herodotus enim Heracleotes tradit, Athenæo attestãte, Agnum aureum fuisse phialam, in cuius medio, Agnus fuit insculptus. Thyestem aurei Velleris Agnum surripuisse Atreo fratri annotauit Dalechampius, in eundem Athenæi locum.

Marcus Varro lib. 2. de re rustica scriptum reliquit, ab antiquis esse proditum, pecudes propter caritatem, aureas habuisse pelles, vt in Colchide, Oetha, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ.

Cicero in lib. quæst. Tuscul. scribit Argiuos in Argo naui petijsse pellem inauratam arietis.

Strabo, qui claruisse dicitur temporibus Augusti & Tiberij Imperatorum, fabulam aurati Velleris confictam esse autumat: ex eo quòd in regione Colchica,

torrentes dicuntur aurum referre: quod Barbari lanoſis pellibus excipiũt; quam opinionem amplecti videtur Georgius Agricola lib. 2. de veteribus & nouis metallis, vbi aureum Vellus inde à Poetis eſſe confictum ſcribit, propter torrentes aurum deportantes, quod perforatis tabulis & pellibus lana refertis excipiunt incolæ.

Euſtathium ſcripſiſſe ſcriptum reliquit Maſerius, Comment. in Valerij Flacci Argonaut. quod Capræ ad Phaſin Vellus ferunt. Ante annos propè CCCC. florebat Euſtathius, vt ſcriptum reliquit Doctiſſimus Caſaubonus. Ex his clariſſimè patet, nos nihil omninò tribuere poſſe fabuloſo Suidæ aſſerenti Vellus aureum fuiſſe librum continentem, quomodo per Chymiam fieri debeat aurum, eamq; opinionẽ eſſe non ſolùm improbabilem, ſed & falſiſſimam. Cùm omnes qui ante Suidam de Vellere aureo aliquid ſcripſerint, quiduis potius de eo dixerint, quàm quòd ad Alchymiæ vanitatem retulerint. Et tamen Alchymiſtæ cum occœcato Libauio, audent cum tam fabuloſo Suida, in antiquiſſimorum ſcriptorum authoritatẽ inquirere, & auſu pluſquam temerario, hanc meram fabulam ad Al-

chymiæ veritatem & antiquitatem probandam referre? quasi verò summi viri, qui quò propiores aberant à tempore, quo fuerunt Argonautæ, eò meliùs ea quæ erant vera non cernerent. Quid? nonne temerarij hominis, ac perfrictæ frontis fuerit asserere, omnes & singulos hos antiquissimos, ac quamplurimos alios, de Vellere aureo falsa prodidisse, Suidam verò, qui longissimo interuallo ijs fuit posterior, veriora dixisse? Nonne, omnium Doctorum hominum iudicio, de antiquitatibus, antiquioribus scriptoribus, maior fides est adhibenda? Quis igitur non miretur tam absurdam & falsam Suidæ sententiam non pupugisse Libauium & alios Alchymiæ fautores, vt veteres Argonauticorum scriptores reuoluerent, & quid dixerint diligentius quærerent?



Quod ad Alchymiæ antiquitatem & veritatem asserendam, nihil pertineant ea quæ de horto Hesperidum dicta sunt à scriptoribus.

CAPVT III.

NOn dissimili temeritate & audacia fabulam & Poetarum figmentum de horto Hesperidum ad Alchymiã referre non dubitarunt occœcati Alchymistæ, fabulantur enim Poetæ, Hesperides sorores, habuisse hortos nemore aurifero pretiosos, vbi erat Draco custos, peruigil, mala aurea vigilãter obseruãs, quem interfecit Hercules, pomáque aurea retulit ad vitricum Eurysteum. De hac fabula Hesiodus in Theog. & Ouidius in met. & Theocrit in Comaste. Omnes antiqui scriptores, qui hanc fabulã sunt interpretati, quiduis potius de hoc horto Hesperidũ dixerunt, quàm quod ad Alchymiam detorserint. Et tamẽ longè posteriores insani Alchymistæ, non sine scelere, audent hanc fabulam ad suam insaniam confirmandam referre.

Plinius & Solinus iuterpretãtur fuisse

æſtuarium maris, meatu flexuoſo inſtar Draconis, quod hortos Heſperidum amplectebatur. Vbi, præter oleaſtrum, aliud nihil ex narrato illo aurifero nemore extare prodiderunt.

Varro per mala aurea, oues ſignificari dicit, quas Hercules ex Aphrica in Græciã exportauerit. Nam Melõ apud Græcos ſignificat ouem & pomum. Hinc melotæ dictæ veſtes ex pellibus ouium confectæ. Diod. lib. 5. Biblioth. tradit pecudũ greges exquiſita pulchritudine Heſperides habuiſſe, quæ ob decorẽ à Poetis aureæ dictæ ſint, quemadmodum & venerem ob egregiam formam auream appellant. Non multum aliter Palephatus hanc fabulam interpretatur, lib. de non credendis Poetarum fabulis, vbi declarat, vnde huic fabulæ locus ſit datus. Non enim obſcurũ eſt veteres ea dixiſſe aurea, quæ magnũ ſuppeditarent emolumentum & redditũ, ſiue agri bonitate, ſiue pecore aut lanificio. Hinc Martialis de Betis fluuio.

Betis oliuifera crinem redimite corona
Aurea qua nitidis Vellera tingit aquis.

Quocirca factum eſt, vt pecudes ipſæ aureas pelles habuiſſe ferantur, qualis fuit Argis Atrei, quam ſibi Thyeſten ſub-

duxiſſe queritur. Vt in Colchide Aeta Rex, ad cuius arietis pellem, Iaſon profectus eſt, & ſocij Argonautæ magni ſanguinis & animi, qui regionem gregibus & opibus nobilem inuaſerunt, ſi Varroni credimus lib. 2. de re ruſt. c. 1. quem laudat & ſequitur Stephan. Forcatulus lib. 1. de imp. & Philoſ. Gallorũ. A quibus etiam ſtare videtur Cœlius Rhodiginus qui ex eodem Varrone, Vellus aureũ in ouibus, caritatis nomine, intelligendũ aſſerit lib. 25. antiq. lect. cap. 1. rectè quidem caritatis nomine. Eſt enim aurum hominibus cariſſimum. Nec vllum ab his pluris fit metallum. Horat. lib. 1. ode 5. de Pyrrha.

Qui te nunc fruitur credulus aurea.

Id eſt cariſſima ſibi, multúmq; amabili & optata. Oues ſanè in tanto honore habuerunt veteres, vt ex ijs ſolummodo opes fieri exiſtimarint. Et pecuniam atque peculium omne à pecudibus & gregum numero olim cenſuerint, eáque de cauſa, Maronianus Corydon diuitias oſtentaturus ſuas, dixit.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Ideoque fictum, oues olim lanam auream habuiſſe.

Ex ijs quæ hactenus dicta ſunt, mani-

feſtè patere poteſt veritatis amanti, qui fabularis huius hiſtoriæ cognoſcendæ ſtudio ducitur, longè magis delirare Alchymiſtas, quàm ipſos Poetas fabuloſos, cùm ex ijs nemo reperiatur, tam bardus atque inſanus, qui hanc fabulam ad Alchymiæ vanitatẽ traduxerit, quanquam traducere non potuiſſet quiſquam, cùm haud multis retrò ſæculis, Alchymia in vſu tantùm fuerit, vt innumeris rationibus & argumentis paſſim euincitur in meis libris contra Chymiſtas lucubratis.

Quòd non minus perperam quàm falsò Alchymiſtæ cum occæcato Libauio Alchymiam metallorum tranſmutatoriam, ac illius antiquitatem defendere nituntur, authoritate Suidæ, Oroſij, necnon & Conſtantini Diaconi.

CAPVT IIII.

SVNT qui ex Suida pro antiquitate ac veritate tranſmutationis metallicæ ſtantes contendunt cum Roberto Vallenſi, ac nugatore nugaciſſimo Libauio, Alchimiam ſtrenuè profeſſos eſſe Ægyptios, ac Diocletianũ Imperatorẽ veterũ ſcripta

de confectione auri atque argenti, per totam Ægyptũ conquiſita concremaſſe: ne ex illa arte ditati Ægyptij, & pecuniæ freti copijs, deinceps contra Romanos rebellarent. At hoc Commentum Suidæ omninò falſum, ſi exactius, diſcuſſiſſent, Cœlius Rhodiginus, authores Collegij Conymbricenſis, ac alij non mediocriter eruditi viri (qui vt oues ſolent ducem gregis capram, ſic ipſi fabuloſum Suidã ſequuti ſunt) non tam facilè quod Suidas narrat, credidiſſent, nec alijs in animũ credere Suidæ induxiſſent. Miror equidẽ, nec diuinare poſſum quo modo niſi diabolico delat⁹ ſit Suidas, in hoc figmẽtũ tam alienũ ijs, quæ à prioribus ipſo ſcripta ſunt. Porrò quod Suidas hoc falsò & temerè ſcripſerit, multa dictitant. Primum hæc apud nullum ex ſcriptoribus ſcripta loquũtur, præterquàm apud ipſum Suidam recentiorẽ Grecum, vt qui ante annos quadrigẽtos vixerit. Ita vt interceſſerint anni plus mille & ducenti, ab ea hiſtoria de qua hîc loquitur, ad id tempus, quo hoc ab ipſo ſcribebatur. Creatus enim fuit Diocletian⁹ anno Domini 287. qui fiat igitur, vt ſcriptor idone⁹ eſſe poſſit Suidas præſertim ſolus? Vnde & à quo didicit hoc? Non ab aliquo probato ve-

teri ſcriptore, nam quis ille? Cùm ante Suidã null⁹ extet, qui hac de re loquatur, vt iam dictum fuit. Non illud potuit diuinare. Nam quis diuinare poſſit, quæ nec hiſtoriæ anteà tradiderunt, nec apud vllum præterquàm apud ipſum legũtur?

Veriſimile eſt Suidam aut proprio ore loqui, vel referre quod ab aliquo nugigerulo Alchymiſta audiuit. Quandoquidem ex omnibus illis, quorum ſcripta ad nos peruenerunt, nullus eſt qui hoc memoriæ prodiderit. Deinde quo pacto verum eſſe potuit, Diocletianum, veterum ſcripta de confectione auri atque argenti concremaſſe? cùm tempore Diocletiani Alchymia ne nomine quidem nota eſſet, nec iam ab illis temporibus reperirẽtur, qui Alchymia tranſmutatoria vterẽtur? Vt millies in his libris à me demõſtratum fuit? Prætereà quis tam bardus erit, qui non crediderit hanc hiſtoriam excedere omnem fidem?

Equidem Diocletianus atque Romani cæteroqui non oſcitantes, non amiſiſſent tam bonam incredibilis opulentiæ occaſionem. Sed Ægyptios imitati eſſent, artemque auri & argenti conficiendi, ad ſuos vſus traduxiſſent, poti⁹ quàm libros de hac arte ſcriptos concremaſsẽt. Quin

cæteris

cæteris alijs ſtudijs potiùs abiectis, omnem oculorum mentis aciem ad tam diuinam artem conſequendam conuertiſſent, rationémque lapidem illum Philoſophorum conficiendi ab ipſis Ægyptijs etiam inuitis didiciſſent. Vt & hinc intelligi poſſit, quantum auctoritatis & fidei ſit attribuendum huic hiſtoriæ, ſeu potius fabulæ, cui poteſt etiam fides abrogari cum multis, & cum Natali Comite dicere, non eſſe legem diuinam quicquid à Suida dicitur. Sed non eſt opus ad hanc anchoram confugere, quia hoc eſſe figmentum, & impudentiſſimum mendacium, facilè aliundè conuinci poteſt. Si quis enim rem ipſam diligenter examinabit, inueniet Suidam vel veritatem diſſimulaſſe, vel ignoranter lapſum eſſe, & allium pro cæpa ſumpſiſſe, deceptus fortaſsè ab aliquo fabuloſo Chymiſta, vt dictum eſt. Nam cùm omnia ipſi Chymiſtæ inuertere ſoleant, & ad ſuam vanitatem comprobandam traducere, occaſionem tam nefarij Commenti ſumpſiſſe ſuſpicor Suidam, ex edicto Imperatoris Diocletiani, de comburendis libris Chriſtianorum (non autem Chymiſtarum, vt non minus temerè quàm falsò Chymiſtæ aſſerere audent.) Cuius edicti meminit

D. Augustinus lib. 3. contra Crescon. cap. 27. & lib. 7. de Baptis. cap. 7. Et Euseb. scribit lib. 8. cap. 1. & seqq. vndecimum bellum omnium grauissimum à Diocletiano in Oriente, & Maximiano in Occidente excitatum esse. Et solebat dicere Diocletianus Regnum ad pristinum statum reduci non posse, nisi dissimilitudines religionum è medio tollerentur, & omnes ad antiquam cogerentur. Prætereà & impudentissimum Alchymistarum mendacium facilè cōuinci potest, etiam ex ipsomet Paulo Orosio, per quem probare instituerunt narrationem Suidæ, Robertus Vallensis in libello de veritate & antiquitate Alchymiæ, & nugigerulus Libauius in secunda parte suæ Alchymiæ. Nam tantum abest vt in loco à Vallensi & Libauio citato, aliquid ad Alchymiæ pertinentia reperiatur, quòd in totis Orosij libris, ne vllum verbum quidem imaginari possit, quòd vel ad Alchymiam transmutatoriam pertineat, vel pertinere possit ad pretensam librorum Chymicorum combustionem. Quòd si bona fide recitentur verba Orosij lib. 7. cap. 25. reperietur nihil ferè aliud scribere quàm quæ ex Eusebio retulimus, à quo accepisse potuit ipse Orosius quæ ibi scri-

bit. Loquens enim de Achillæi rebellione in Ægypto, ſcribit Diocletianum obſeſſum per octo menſes, apud Alexandriam Achillæum cœpiſſe & interfeciſſe, & immoderata victoria vſum Alexandriam direptioni dediſſe. Ægyptum totam proſcriptionibus, cædibúſque fœdauiſſe.

Quòd ſi verba Oroſij retuliſſent ipſi impoſtores Vallenſis & Libauius, nec ea doloſè diſſimulaſſent, vel malicioſè corrupiſſent, facilè eorum impoſturam detegere potuiſſet, quicumque Codicem Oroſij diligenter inſpexiſſet. Et ſi prius aſſenſerat aſſertioni ipſorũ impoſtorum, authoritate Oroſij motus, mox in contraria omnia rapere eum potuiſſet, hic eiuſdem Oroſij locus doloſè ac mala fide ab his impoſtoribus adductus; res proximas temporibus ſuis narrant Euſebius, Oroſius, Auguſtinus, ſcire potuerunt. At quomodo poſt tot ſæcula certius aliquid habere potuerunt Alchymiæ fautores, de rebus à Diocletiano geſtis, quàm memorati ſcriptores? à quo hæc reuelatorio ſpiritu? niſi ab antiquo erroris artifice?

Idem dicendum de illo quodam Conſtantino Diacono, qui ab ipſis Vallenſi &

Libauio nominatur ad confirmandum quod ex Suida & Orosio attulerant. Nam nullus vnquam Constantinus Diaconus extitit, qui aliquid quod ad Alchymiam pertineat, scripserit. Sed ô benè quod librum istius Constantini non nominant, nec locum citant, nec verba adiiciunt. Si fecissẽt, color aliquis futurus erat istorum tenebrionum Calidissimo mendacio, apud bardos & ignauos Alchymiæ vanitati deditos.

Ex his sic deductis eruditus Lector æstimet, quo iure quâue iniuriâ censuerint Alchymiæ fautores, Diocletianum Imperatorem, debellato Achillæo concremasse libros Chymicos.

Et vt verè dicam quod sentio, nihil iacturæ factura fuisset Respublica literaria, si hæc ex Suidæ & Agyrtarum imposturis cõuasata, vel à doctissimis quibusdã viris tacita fuissent, vel saltem melius ea expensa ab ijs fuissent. Quod & si ipse Libauius, & alij fautores Alchymiæ proprijs oculis inspexissent Orosium, non autem specillis imposturæ & calumniæ, quas Robertus Vallẽsis eorũ nasis applicarunt, facilè imposturam detexissent, nihil reperiẽdo in Orosio, quod ad cõcrematione libroru Chymicoru pertinere posset.

Quod antiquitas Alchymiæ non poſſit defendi authoritate Iulij Firmici.

CAPVT V.

ANtiquiſſimum eſſe Alchymię nomen, ipſis etiam Romanis vſurpatum, ex Iulio Firmico conſtare contendunt Alchymiſtæ. Iulius enim Firmicus Maternus vir conſularis qui Conſtantini Imperatoris tempore, annis iam mille ducentis & amplius vixiſſe dicitur, nominatim Alchymiæ nomine meminit, lib. 3. ſuæ Matheſeos ad Mauortium Lollianum cap. 15. dicens Lunam in nono horoſcopo loco, in nocturna genitura, in domo Saturni hominem ad ſcientiam Alchymiæ propenſum reddere. Ad quod reſpōdeo quod hic Firmici locus apertè videtur de falſo ſuſpectus. Quia iam inde ab Imperatore Conſtantino nondū Alchymiæ nomen extitiſſe nedum rem ſatis ſit veriſimile. Alchymiæ enim nomen vox eſt Barbara, paucis ab hinc ſæculis nata, & ab Arabib⁹ profecta poſterioribus, qui inter cæteros populos vanis & ſuperuacuis iſtis artibus plus tri-

buerunt tẽporis quàm liberalibus. Vnde eſt ridiculum putare Alchymiæ vocem iam inde ab Imperatore Conſtantino, fuiſſe Romanis familiarem. Nam apud neminem alium ex antiquis ſiue ex Gręcis, ſiue Latinis, ſiue ex Arabibus, præterquam apud Iulium Firmicum, reperiri licet Alchymiã nominatam fuiſſe. Porrò non potuit Firmicus nominare Alchymiæ nomen, quod nondum tẽpore ſuo extaret, vt dictum eſt, cùm ante ſexcentos, aut ad ſummum ſeptingẽtos annos nemo Alchymiam nominauerit, vel aliquid quod ad Alchymiam pertineret, ſcripſerit. Et quod aiunt à Græcis deductum Alchymię nomen: Ciniflonum recens commentum eſt omninò falſum. Vt & annotauit vir clarus & litteris Græcis eruditiſſimis Iſaac Caſaubon9 lib. 10. cap. 8. animaduerſ. in Athæneũ. Quod & litteris prodidit Henricus Salmuth: Comment. in noua reperta Guidonis Panciarolli tit. 7. contra quàm nugatori nugaciſſimo Libauio eſt viſum.

Et quòd Arabes primi frequentarint Alchymiæ nomen, inter alia ſatis declarat Al, Arabum articulus, qui multis ſimilibus nominibus præfigi ſolet, vt videre eſt in Alambicus, Almanach, Al-

mageſtum, Alchanna, Alcohol, Alcoranus, Albumazar, &c. Dicendum igitur Iulium Firmicum, aut non eo quo traditur tempore vixiſſe, recentiorémque ſcriptorem quàm vt tempore Conſtantini Imperatoris floruerit, fuiſſe: aut ſi tēpore Cōſtantini floruerit, opus Matheſeos falsò ei tribui à recentioribus vel (quod eſt magis veriſimile) Alchymiæ nomen fuiſſe additum ab aliquo recentiore Chymico, qui Alchymiæ nomine addito, fidem huic vanitati facere voluerit. Potuítque eueniſſe Firmico alioquin vano ac futili, de vanitate Aſtrologiæ iudiciariæ ſcribenti, non aliter quàm multis illo antiquioribus & doctioribus viris, accidit; quorum maxima pars lucubrationum quæ ad ætatem noſtram peruenerunt, inſignibus ſcatent erroribus, & audaculorum quorumdam margineis etiam additamentis ſunt polluti, quæ in textum poſteà irrepſerunt, qualia contigiſſe libris Tertulliani & aliorum doctiſſimorum docti quotidie experiuntur. Huius generis quàm multa ex multis ſcriptoribus ſuſtulerint caſtigatores, non ignorant viri multæ lectionis, qui etiam quotidie animaduertunt, in operibus doctiſſimorum etiam viro-

rum, multa de ſuo miſcuiſſe corruptores, quæ in legitimis ſcriptis non habentur. Prætereà non deſunt argumenta alia, quibus quis coniicere poſſit, illud opus Firmico aſcriptum, non eſſe antiquum ſaltem ex omni parte.

Nam vt alia prætercam, tot peregrina vocabula, quæ contra Latinorum morem ſuis ſcriptis immiſcuit autor, tot Aſtrologici characteres, Planetarum, ſignorum, manſionum, in hoc opere depicti, ſatis declarare videntur, illud opus à recentiore ſcriptore ſaltem pro maiori parte eſſe profectum. Lippis enim & tonſoribus, eſt benè notum, hęc omnia ab Arabibus poſteriorib⁹ non multis abhinc ſæculis, eſſe profecta. Ad hæc accedit, quod non ſine cauſa aliquis ſuſpicari poſſet, Alchymiæ vocē eſſe in hoc opere inſititiam, & ab Alchymiſta quopiam ſuperadditam. Nam ſi Firmicus ſcriptā voluiſſet relinquere Alchymiam, cur non eam reliquiſſet etiā in lib. octauo Matheſeos, vbi de metallariis, aurificibus, bracteatoribus, inauratoribus, margaritarijs? non enim veriſimile eſt eoſdem alio ſydere natos eſſe quàm quo Alchymiſtæ. Sed age, ne nimis duri videamur, tribuamus hoc iſtis Chymiſtis

quod volunt, meminerit Alchymiæ Iulius Firmicus. In veterum animis penitus insederit Alchymia. Num omnes disciplinæ, omnes artes, omnia inuenta antiquis nota, numeranda sunt in bonis? antiquo tempore Magia, Astrologia iudiciaria, & plures similes peragrarunt omnes terras & maria, totúsque mundus earum contagione infectus est, ergone pestes illas optabiles nobis esse dicemus? ergone veræ & amplectendæ? Ecquis inficiari audeat nisi insanus, Alchymiam metallorum transmutatoriam venenatam & pestiferam non existere?

Quod veritas & antiquitas Alchymiæ non possit defendi ex arca in agro Patauino, vt dicitur, eruta.

CAPVT VI.

NEc est quod vir prudens adquiescat Alchymistarum assertionib᷒, quibus Alchymiæ inuẽtum esse antiquissimum pertinaciter contendunt, adducti arca in agro Patauino iuxta oppidũ Atheste, vt dicitur, eruta, in qua maximi Olybij lucernã arsisse, mille & quingentos annos ferunt.

Hiſtoriam ſeu potius fabulam referam, ex Petro Appiano, & Bartholomæo Amantio Poeta, qui in perquirendis, deſcribendis, & publicandis veterum monumentorum inſcriptionibus, ſedulam nauarunt operam. Ij igitur in ſuis antiquarum inſcriptionum collectaneis excuſis anno 1534. hæc ſcripta reliquerunt. Patauij ante aliquot annos mirabile artis Alchymiæ argumentum inuentum eſt. Vrna fictilis erat his verſibus notata.

Plutoni ſacrum munus, ne attingite fures.
Ignotum eſt vobis hoc quod in vrna latet,
Namque elemēta graui clauſit digeſta, labore
Vaſe ſub hoc modico, maximus Olibius
Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne precium tanti depereat laticis.

Intra hanc vrnam reperta eſt minor alia, quâ apertâ, duæ ampullæ inuentæ ſunt affabre elaboratæ, altera ex argento, altera ex auro puriſſimo quodam liquore plenæ, quo lucerna adhuc ardens per multa ſæcula conſeruata putatur. Vrnulæ inſcriptæ erant hi Verſus.

Abite hinc peſſimi fures
Vos quid voltis veſtris cum oculis emiſſitijs?

Abite hinc veſtro cum Mercurio Petaſato Caducéatóque
Maximus, maximo donum Plutoni hoc ſacrum fecit.

Hæc Appianus, & Amantius qui videntur deſumpſiſſe, ex Corollario in Dioſc. Hermolai Barbari, qui florebat anno Domini 1493. & qui omnium primus reperitur hanc hiſtoriam, ſiue potius fabulam, mandauiſſe literis, cuius fidem ſecutus eſt Appianus & Amantius.

Cæterùm in hoc commemorando variant ſcriptores. Vnde fit vt hæc hiſtoria non parùm reddatur de fide ſuſpecta. Godofredus Torinus Biturigus qui hanc hiſtoriam cum quibuſdam opuſculis ſuis euulgauit ante Appianum anno ſcilicet 1510. longè aliter narrat. Nam in vaſe fictili cui inſcripti erant illi verſus, *Abite hinc*, & quæ ſequuntur, ſcribit vas vitreum fuiſſe incluſum, non autem duæ ampullæ, alteram ex argento, alteram ex auro. Non liquorem aliquem, non lucernam ardentem, per multa ſæcula conſeruatam. Horum enim omnium nullam prorſus facit mentionem.

Martinus del Rio lib. 1. cap. 5. quæſt. [.] diſquiſitionum Magic. eandem hiſtoriam refert ex Scardeono Patauino de

antiquitatibus vbis Patauij, cuius liber impreſſus fuit Venetijs 1558. verùm nullum verbum verſuum vrnulę inſcriptorum. Ex quibus patet parùm aut nihil poſſe tribui huic coniecturæ Alchymiſtarũ alioquin valdè futili, cùm etiam argumento ab impoſſibilitate ducto cõuinci poteſt hanc hiſtoriam eſſe confictam. Nam quomodo fieri potuit vt lucerna ardens per multa ſæcula conſeruari potuerit ſub terrã? Rectè equidem ſcriptum reliquit Auerroes quòd credere aliquid eſſe verum, quod ratio non poteſt comprehendere, nec intellectus intelligere, leuitatis ſignum eſt. Quomodocũque ſit aut hæc reperta fuerunt, aut non: ſi reperta fuerunt, profecto exiſtimandum eſt illos verſus vrnis inſcriptos ſuppoſitos fuiſſe, & doloſè defoſſos, & poſteà de induſtria poſt aliquod tempus exemptos ad faciendam fidem huic vanitati, aut ſi ab antiquo tempore fuerunt poſiti, quod minimè credo, ego non dubitarem ad quiduis aliud ſpectaſſe illorũ auctor verſuum, quiſquis is fuerit, potiuſquã tenebricoſis illis verſibus voluiſſe indicare aliquid quod ad Alchymiam tranſmutatoriam referre poſſit.

Nam quoad Mercurium de quo in

illis versibus fit mentio. Quibus quæso coniecturis videri potest, per illum Mercurium Petasatum, caducæatúmque hic significari, non illum deorum internuntium & interpretem, petaso, talaribus & caducæo insignem (qui Deus est habitus non solùm mortuorum sed furum quos hic prohibet accedere) sed potius Mercurium quo Chymistæ ad aurum & argentum conflandum (si credere fas est) vtuntur? Præsertim cùm non multa ante sæcula cœperint iuniores Platonici post Proclū, metalla planetis assignare? Accedit quod nec ante tria aut quatuor sæcula cœpit argentū viuum [quod volūt hic intelligi] planetæ Mercurij nomine appellari ab Alchymistis. Suadent hoc nobis testimonia eorum qui primum metalla planetis subiecerunt. Ij enim nec argentum viuum inter metalla connumerarunt, nec planetā vllum ei assignarunt. Quin planetæ Mercurio nullū aliud metallum quàm stannum tribuerunt. Quod videre est apud Marsilium Ficinum in argumento in Critiam Platonis. Veniamus nunc ad elementa in illis versibus nominata. Quib⁹ quęso cōiecturis, quibus probabilibus argumentis conuinci poterūt Alchymistæ hîc significari

non ipſa elementa rerũ primordia quibus omnia corpora cõſtant, ſed diuerſas illas ſubſtantias, quas ex vno quoque corpore ſeparare tentant Chymiſtæ præſertim cùm liquidò cõſtet, non ante ſex ſæcula nouiſſe Chymiſtas, diuerſas illas ſubſtantias in rebus comprehenſas arte Chymica ſiue deſtillatoria ſeparare? Et (quod eſt notandũ) certũ eſt non multo abhinc tẽpore cœpiſſe Alchymiſtas appellare elementa illas ſubſtantias, ſic vt dictũ eſt ſeparatas. Equidem veriſimilius eſt hîc ſignificari elemẽta quę propriè ita dicuntur, quàm elementa figuratè dicta. Nam propria cuiuſq; vocis ſignificatio, natura prior eſt quàm tranſlatitia. Hæ voces enim elementum & Mercurius, in vſu & notitia hominũ ante verſata ſunt, pro his quas diximus appellationibus, quam in ſuos vſus ea Alchymiſtæ accõmodarint. His accedit quòd non temerè ſuſpicor aliquam hîc latere impoſturam, eo quod deprehendimus, bonã partem illorum verſuum ex Plauto defluxiſſe. Is enim in Amphitrione Mercurium ſic loquentẽ introducit: *Vt vos in voſtris voltis mercimonijs emundis, vendundíſque me lucro efficere atque iuuare in rebus omnibus*, & quæ ſequuntur. Et idẽ in Aulul:

Circumſpectatrix cum oculis emiſſitijs, &c.

Et vt aliquid copioſius dicamus de illa lucerna inextinguibili, quid inepti⁹, quid ſtultius ſcribere, beneficio liquoris qui in ampullis ex auro & argento continebatur illam ardere? præſertim liquore illo & lucerna non ſe tangẽtibus? Quis vel mediocriter doctus credat hãc hiſtoriam veritate niti? Qui credat virtute liquoris alicuius vel cuiuſuis alterius rei ſupra mille & quingentos annos lucernã ardere potuiſſe, idque in locis ſubterraneis? Prętereà etiãſi hęc fabula vera eſſet, ad quid pertineret pro probãdis veritate & antiquitate Alchymiæ trãſmutatoriæ, de qua hîc quæritur? Adde quod nihil impedit quominus ille liquor potuerit eſſe eiuſdem generis, quo litabantur ſiue fuerit aqua quædam, ſiue vinum, ſiue oleum quoddam, ſiue ſuccus, cùm de quouis humore prædicetur hæc vox? Cæterum vt gratum faciam ſtudioſis, breuì diuulgabo, Deo dante, diſputationem de lucernis ardentibus in ſubterraneis monumentis vt narratur inuentis, ſuper hoc diligentiſſima inquiſitione facta.

Quòd ex Plinio non poſſit probari veritas & antiquitas Alchymiæ tranſmutatoriæ, vt non minus impudenter quàm falsò contendit Libauius cum alijs Alchymiæ fautoribus.

CAPVT VII.

QVanquàm plus æquo fortaſsè ſuperfluus aliquibus videor, & nimis longus, dum in errores Libauii & Aſſeclarũ anxiè inquiro, cùm omnia eorum errata perſequi non ſit neceſſarium ad tam manifeſta deliramenta expugnanda: Quin magis vtile ſit pretioſi temporis momentum in aliis melioribus terere : tamen vt ſimplices & incauti quoad fieri poteſt adducantur, vt reſipiſcant, & ad veritatem redeant, nihil intactum relinquere mihi libuit, præſertim eorum quæ facere poſſunt, ad Alchymiæ falſas inſanias auertuncandas. Ideo prædictis etiam addendum exiſtimaui, ad antiquitatem & veritatem Alchymiæ metallorũ tranſmutatoriæ aſſerendam, nihil facere locum Plinii quem proferunt iſti inſani ex lib. 33. cap. 4. verba Plinii hæc ſunt : *Hæc aurum faciendi*

faciendi est etiam vna ratio ex auripigmẽto, quod in Syria foditur pictoribus, in summa tellure, auri colore, sed fragili lapidum specularium modo. Inuitaueratque spes Caium principẽ auidissimum auri. Quamobrem iussit excoqui magnum pondus, & planè fecit aurum excellens, sed ita parui ponderis, vt detrimẽtum sentiret. Illud propter auaritiam expertus, quanquam auripigmẽti libræ quatuordecim permutarentur. Nec posteà tentatum ab vllo est, hęc Plini⁹. Cuius verba vt omnia alia metallorum transmutationem stolidissimè detorquentes Alchymistæ ad suũ metallificium referunt. Quo nihil excogitari potest vanius nec fabulosius. Nec id vnquam in mentem venit ipsi Plinio. Nam si qua mente aliquid ab aliquo dictum est, respiciendum est, inuenietur Plinium dicere voluisse Caium iussisse excoqui magnum põdus auripigmenti, vt tantum quantum auri in illo magno põdere esset, extraheretur. Sed ita parui ponderis aurum extractum esse, vt detrimentum sentiret. Non intelligit igitur illud aurum fuisse factum per transmutationem auripigmenti in aurum, sed per separationem auripigmẽti ab auro quod ipsi inerat, Non ignorabat enim Caius,

ex relatione peritorum, aurum, argentum, ac alia metalla ac fossilia plerũque terris, lapidibus, ac aliis fossilibus naturam miscere. Cùm igitur probè nouisset hoc fossile aurum in se continere, (vt aliquãdo cõtinere non diffitetur Libauius) voluit experiri, quantum auri esset in illo Syriæ auripigmento. Quod propter magnam similitudinem quæ in colore & nitore erat ei cum auro, putauit minus de pondere perditurum quàm auripigmentum ex aliis locis effossum. Et quis quæso fuit vnquam præter insanum Libauiũ cum suis occœcatis Chymistis qui putauerit verba Plinij aliter esse intelligenda. Non aliter ea intellexit Antonius Pineti⁹ vir benè doctus, qui in suo Plinio gallico toties ab eo correcto & excuso, illa verba Plinij, *Fecit aurum excellens*, per verba latine sonantia : extraxit aurum excellẽs, gallice expressit. Vt inde pateat non per transmutationem, sed per separationem, illud aurum fuisse factum: vt abire debeat in malam crucem iste nugator nugacissimus cum suis Asseclis qui sic impudentissime Plinij mentẽ inuertere non veretur, & veritatem ad fabulas & insanias falsas detorquere non erubescit, verámque Plinij historiam admixtis

commentis ita coinquinare, vt aliun induta habitum vix agnosci possit. Et tal genus impostorũ inuenit qui laudat, qu recipiat, qui foueat, qui protegat? O quã me miseret bonorum & credulorum etiam Principum, qui talibus, faciliares præbẽt aures, quàm viris bonis & doctis ac veri amantibus. Vt non sit mirum si sæpius in eorum caput recidat id genus exẽpli quod cõprobarunt. O terque quaterque beati Principes illi qui non sinunt alios ea fraude iugulari quâ se iugulari clam patiuntur. Sed vt ad aurum ex auripigmento redeamus, est locus apud Iob cap. 28. quo locus Plinii potest non parum illustrari, vbi inquit: *Habet argẽtum venarum suarum principia & auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis in æs vertitur.* Quod non fuit dictum à Iob ea mente & consilio, vt intelligere voluerit lapidem in æs transmutari, sed non secus ac ex auripigmento aurũ apud Plinium excoqui æs, & ex lapide æroso extrahi, quod constare potest ex ipsomet Libauio qui in Cõment. Alchymiæ part. 2. tract. 1. f. 3. verba Iob in vero suo sensu intellecto recitat atque explanat. Verba enim Iob: *Lapis in æs vertitur*, sic explicat, vt lapis solutus calore confletur, & æs

effundat.

Ita vt Libauio integræ frontis, possit opponi Libauius perfrictissimæ frontis, dum dictũ Plinii potius quàm illud Iob ad Alchymiam metallorum transmutatoriam detorquere non veretur, contra Plinii mentem.

Quod veritas & antiquitas Alchymiæ metallorum transmutatoriæ non possit defendi autoritate Plinij, scribentis, Imperante Tyberio, vitrum flexile ac ductile redditum esse.

CAPVT VIII.

ILlud à me non prętermittendum censeo, falsò receptum esse, ac ipsi Sophistæ Libauio, ac cœteris Alchymiæ fautoribus persuasum, quod in Plinio legitur, vitrum flexile ac ductile redditum fuisse, id esse documentum veritatis & antiquitatis Chymiæ. Ex ijs enim quæ infrà deducentur, quilibet iudicare poterit, quanta sit Chymistarum iniquitas atque impudentia, qui vt non solùm ficta, ac falsa, sed etiam ridicula, hominúmque commentis temerè comprobata con-

ſirment nihil non licere ſibi opinantur. Cùm enim non minus temere quàm falsò tradiderint lapidem Philoſophorum ſeu potius ſtultorum, non ſolùm ad metalla tranſmutanda, & ad morbos profligandos valere, ſed etiam ad vitra flexilia reddenda, ſtatim locum Plinij de vitro, quemadmodum flexile ac ductile redditum ſit, Tyberio Auguſto Imperante, ad lapidem ſuum Philoſophorum traduxerunt, perſuadere conantes incautis, ac ſciolis, hoc eſſe factum beneficio huius lapidis ſtultifici. Verùm quàm verè, quilibet ex ijs quæ ſequuntur iudicare facilè poterit. Primùm non eo inficias Plinium ſcripſiſſe inter alia multa, quibus Salluſtianum illud iure optimo occentari poſſit: *Fides ſit penes auctorem*) flexile atque ductile redditum fuiſſe vitrum, imperante Tyberio Auguſto, ſed nego hoc abs ſemet, ſed ex certorum monumentorũ relatu recenſere. Quòd autem id pro comperto non tradiderit, patet ex ſuis verbis. Sic enim ſcribit lib. xxxvj. cap. xxvj. *Ferunt Tyberio Principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile eſſet: Et totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, auri, metallis pretia detraherētur. Eaque fama crebrior diu quàm*

certior fuit. Ex quibus verbis ſatis fit manifeſtũ, hoc pro comperto non tradere, ſed de geſtæ rei veritate non parum dubitare. Quapropter factum prudenter non eſt à Petro Crinito, à quo relata ſunt verba Plinij, non bona fide lib. xxiij. cap. iiij. de honeſta diſciplina. Siue enim per incogitantiam, ſiue ob alias cauſas ſilentio prætermiſit verba quibus apparere poſſit, Pliniũ de hac hiſtoria ſiue potius fabula ſubdubitaſſe.

Huius rei geſtæ meminit & Iſidorus, altera Plinij Simia, in hunc modũ: Fertur autem ſub Tyberio Cæſare quendam artificem excogitaſſe vitri temperamẽtum, vt flexibile eſſet & ductile. Qui cùm admiſſus eſſet ad Cæſarem, porrexit Phialam Cæſari, quam ille indignatus, in pauimentum proiecit. Artifex autem ſuſtulit Phialam de pauimento, quæ complicauerat ſe, tanquam vas æneum. Deinde malleum de ſinu protulit, & Phialam correxit. Hoc facto Cæſar dixit artifici: nunquis alius ſcit hanc condituram vitrorum? Poſtquàm ille iurans negauit alterum hoc ſcire, iuſſit eum Cæſar decollari, ne dum hoc cognitũ fieret, aurũ pro luto haberetur, & omniũ metallorũ pretia abſtraherẽtur.

Eamdem hiſtoriam diſertiſſimè recenſet Ioannes Saliſberienſis, quamuis ab exemplis ſuprà dictis in partem nonnihil diſſentiat lib. de nugis Curialium iiij. cap. v. inquiens: Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuiſſe, qui vitrea vaſa faceret, tenacitatis tantæ, vt non magis quàm aurea vel argentea frãgerentur. Cùm ergo Phialã huiuſmodi de vitro puriſſimo & ſolo, vt putabat, dignam Cæſare fabricaſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata eſt deuotio donantis. Faber verò vt admirationem intuentium verteret in ſtuporem, & ſibi plenius gratiam cõciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris Phialam recepit, eamque validius proiecit in pauimentũ tanto impetu, vt nec ſolidiſſima & conſtantiſſima æris materia maneret illęſa: at ille de terra ſuſtulit Phialam, quæ quidem non fracta erat, ſed colliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde marcullum de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſimè, & tanquam colliſum vas æneum crebris ictibus reparauit. Quo facto ſe cœlum Iouis tenere arbitratus eſt, eò quod familiaritatem

Cæſaris, & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Quæſiuit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum. Quod cùm negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens, quia ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent quaſi lutum.

Et vt palam oſtenderet Saliſberienſis, ſe quoque ſupradictæ hiſtoriæ ſeu potius fabulæ fidem, non minus quàm Plinium & Iſidorum, ſuſpectam meritò ac controuerſam habere, ſubiungit ſuis verbis protinus. *An vera ſit relatio & fidelis incertum: & de facto Cæſaris diuerſi diuerſa ſentiunt,*

Ternas (vt vides) auctoritates produximus eiuſdem relationis, & quidem curioſius, quòd de rei geſtæ veritate ipſi ſcriptores ſubdubitent, & ſuſpectam & controuerſam hanc narrationem habeant. Quis igitur obſecro tam alienus à ratione, aut ita imperitus qui pro comperto habeat, quod ab ipſis narratoribus habetur pro dubio & controuerſo? Vt nihil ſit Sophiſta Libauio ac aliis Alchymiæ fautoribus impudentius, qui vitrum flexile ac ductile redditũ eſſe beneficio lapidis ſui ſtultifici audent aſſerere.

Quasi verò etiam si verum esset, vitrum redditum fuisse flexile ac ductile id non potuerit fieri aliter quàm per lapidem illum stultificum. Sed nolo esse in re aperta longior, ne videar nugas longiori quàm par est oratione refellere. Qui plura desiderat cõsulere poterit tractatũ nostrum discussionum Chymicarũ qui breuì alios sequetur, si Deus voluerit, in quo variã multiplicẽq; rerũ cognitionẽ inuenire poterit veritatis amator, quæ & eius animũ inuitare, & copiosè instruere poterit.

Fides ac auctoritas librorum Chymicorum ac eorum, qui eos scripserunt, perpendũtur.

CAPVT IX.

NEc est cur sibi blandiãtur Chymistæ & se tueri posse arbitrẽtur antiquitate & auctoritate ac scriptis etiam veterum, qui ab ijs citãtur. Grauiter enim in hoc prout in alijs cœcutiunt: nam & si facilè concedam, libros Chymicos, qui circumferuntur tam impressi quâm manu scripti, excedere numerũ millenarium: tamen ausim constanter asserere, inter tot, ne vnum quidem reperiri licere, in quo insit aliqua authoritas, ad faciẽdam fidem antiquitati vel veritati Chymicæ

vanitatis. Nec vnus ex millibus reperie-
tur qui ſit illius, cuius titulum mentitur.
Quinimo omnes ſunt haud multis retro
ſæculis confiċti à poſterioribus & recen-
ioribus improbibus hominibus, ſophi-
tis impoſtorib⁹, & præſtigiatoribus, ſor-
didiſſimis & abieċtiſſimis Sycophãtis, ac
merè bardis & pecoribus impijs, Magis,
Sagis, Hæreticis, Sciſmaticis, ac ſimilib⁹
hominibus, regnum Sathanæ procuran-
tibus. Quemadmodum enim non desũt
quidam improbi homines, qui quaſi
artem quandam faċtitant ſupponendi
falſa teſtamenta pro veris: Ita nonnulli
reperiuntur qui lucelli ſui cauſa, & vt de-
cipiant homines, libris quandoq; etiam
ineptiſſimis veterum ſcriptorũ nomina
præponere non verentur. Habent enim
illam in animo Timoclis ſententiam.

Eſt ſanguis atque ſpiritus pecunia
Mortalibus: quæ nulla cui ſit copia
Viuos pererrat inter vmbram mortui.

Eſt & aliud genus ingeniorum volucre
atque inconſtans ſui confidens ac tumi-
dum ſeċtarum nouatione, qui cùm ani-
maduertant non forè vt mortales in ad-
mirationem adducant, ſi conſueta atque
eadem quæ vulgo traduntur proponant,

ad peregriniora & plausibiliora se conuertunt. Et quia satis intelligunt diuitias omnes appetere mortales, aurúmque esse quod opibus imperat mortaliū, sub hac vana professione sese venditātes, innumera friuola inuehunt, quæstum ex ijs captantes, & famam sibi conciliantes, & vt magis noui magisque videantur admirandi, præsertim apud homines idiotas, de industria affectātes obscuritatem, ea proponunt, quorum sensus sit inexplicabilis & indigeat Delio natatore, quo videlicet, alijs aliud coniectantibus omnes reddētur attoniti, quemadmodum in obscuris oraculis solet vsu venire, vt & quid de ijs sentiant cùm interrogentur, intellexisse videātur ea, quæ minus assequuti sint alij, & vt fraudes, quibus alios circumueniant, sub hoc specioso commento tegant. Et sic simplicitati hominum imponunt pecuniam corradentes.

Porrò ne videamur hæc dixisse gratis in Chymistas, ea omnia esse verissima ostendemus, rem altius repetendo ac sumpto exordio, à librorum prima subiectione.

Scribit Galen9 lib 1. de nat. hum. quòd nullus liber vnquam falsum titulum habuerat, ante ætatem Regum Alexādriæ,

& Pergami, quo tempore erat in comparandis libris veteribus contentio.

Verum vt primùm acceperunt præmium qui antiqui cuiuſpiam auctoris libros ijs offerrent, tum demùm multos falſo titulo inſignientes, attulerunt: ſed quo tempore hi floruerunt reges, nullus liber Chymicus adulteratum titulum præ ſe ferebat adhuc: quia adhuc ignorata erat Chymia, vt oſtenſum fuit.

Ab Arabibus enim haud multo retrò ſæculis deuoluta, longè latéque propagata fuit, cum alijs multis vanitatibus, & deliramentis, quæ cùm progreſſu temporis iam ab omnibus negligerentur nec eſſent amplius perinde in pretio & admiratione, hoc temerarium & audax de Alkymia facinus moliri nouiter cœperunt ſophiſtæ & impoſtores, qui in ſimilium ineptiarum profeſſione quæſtum captãtes arbitrati ſunt nullum commentum aut excogitatum producere poſſe, quod maiorem admirationẽ incuteret curioſis mortalibus maximas opes tẽporis momento inuenire cupidiſſimis, & quo maiorem ſibi gloriam & quæſtum compararent. Hinc factum eſt, vt inuenti à lucri ſtudioſis & impoſtoribus libri Chymici falsò probatorum auctorum,

etiam veterum adſcripto nomine irreperent. Nec defuerunt alij, quos mentis lucem ſuperbia, & eminendi atque excellendi inſana cupiditas, ita perſtrinxerit, & à recto itinere abduxerit tranſuerſam, vt cùm nihil puſillum cogitarent, ſed ad maxima ſemper applicarent animum, hanc vanitatem ſunt profeſſi, vt habere viderentur, quæ nullus alius: nempè hæc altiſſima, ac præſtantiſſima raráque ac noua.

Ergo ingenia, quæ aptè ac fœliciter eſſent, in mediocribus rebus, vel ex natura ſua, vel ex inſtitutione verſata, ſuprà vires ſe erexerunt, vt ea crederentur ſcire ac tenere, quæ omnes iudicarent eſſe celſiſſima. Vt natus ad Grammaticam, ad enarrandos Poetas atque hiſtoricos, aut qui hiſce tantum in rebus eſſet exercitat⁹, voluit pro Philoſopho, pro Theologo haberi, pro ſummo Medico, cùm eas artes, ne de nomine quidem noſcet. Et ſic non ſolùm inter gentiles Mahumetanos, & alios, in quibus latiſſimè patet regnum Sathanæ, ſed etiam inter Chriſtianos ſuperbia atque ambitio ac pecuniæ ac voluptatum cupiditas, Chymiam ad ſummum vanitatis euexerunt faſtigium. Cuius ſtudium vitiauit tanquam

afflatu quodam caſtam Philoſophiam, & vicinas artes.

Et ſic quod diſciplinis omnibus atque artibus præcipua eſt penes inuentores gloria, multi quoque noui placiti voluerunt eſſe auctores, miſerrimum ducentes alienis demùm veſtigijs inſiſtere: qui morb⁹ mirificè verſauit inter alios, Chymiæ principes Gebrum Lullium, Villanouanum, Paracelſum, ac alios vnde tot mendacia, quot in eorum libris verba, cupidine enim longè latéque proferendi nominis ac pecuniam ab hominibus corradendi & promouendi regnum Sathanæ cui erant adſtricti, nihil veriti ſunt abſona commentari, etiam de arcanis rebus, & maximè reconditis, & à receptis opinionibus longiſſimè recedentibus, vt non ſolùm fallerent à quibus tunc audiebantur, verum vt ad poſteros mēdacia per manū tradita peruenirent.

Sic igitur deteſtabilis ſuperbiæ rabies, ambitio, pecuniæ cupiditas, ſcribendi cacoethes, mentiendi cupiditas, & auiditas fallendi mortales effecerunt, vt innumeri libri Chymici vſque ad nos peruenirent probatorum & iam veterum auctorum adſcriptis nominibus, vt plus maieſtatis ex huiuſmodi figmentis ſuis

mendacijs conciliarent. Quorum ne vnum quidem de titulo nôrunt antiqui, neque ab vllo quopiam vetere probato ſcriptore vllus citatur, immò neque ab ipſo Diogene Laertio recenſetur aliquod ſcriptum Chymicum. qui tamen multus fuit in recenſendis omnium antiquorum Philoſophorum vitis & libris, eóſque coordinauit.

Quin etiam in his libris Chymicis tanta nugarũ confuſio, tanta in ijs hærent, quæ perſonam ac temporum cum negotijs ipſis diſſenſionem habent tot ridicula, abſurda, vana, falſa, impia, tot repugnantia & minimè cohærentia continent, vt nec vllus eſt qui dignus ſit ingenijs ſeruorum ſi quos Scythas habuerunt ij quorum titulos mentiuntur, nedum admiranda eruditione tot tãtorúmque virorum. Adde quod nullus eſt qui farinam, ſtilum, dictionem, repræſentet, vel doctrinam & grauitatem referat auctoris cui aſſignatur. Quod ſi quis etiam ſemidoctus omnia eorum dicta in illis ſuis operibus ad lancem appẽderet tot tãtáſque proculdubio ineptias, inconſtantias & impietates animaduerteret, vt facilè ſibi perſuaderet, his vſos ſcriptore. Vt hi omninò ridiculi meritò

videātur. Ex hui⁹ generis ſunt non ſolùm ij qui Alchymiæ tranſmutatoriæ originem nobis vt faciant antiquã, præclaro Adami titulo libellis quẽdam inſignem obtrudunt, vt alij Moyſis & Mariæ ſororis eius & Salomonis, ſed & libros de Alchymia antiquiſſimis ſcriptoribus Hermeti Triſmegiſto, Democrito Abderitæ, Platoni, Ariſtoteli, & alijs clariſſimi nominis ſcriptoribus adſcribunt, & quorũ etiã mentio fit in libro confićto sub titulo, turba Philoſophorum: præter quos poſterioribus ac recẽtioribus, Auicennæ, Raſi, Thomæ Aquinati, Alberto Magno, ac Marſilio Ficino alijs attribuerunt. Qui ipſis nunquam, ne per quietẽ quidem in mentem venerũt. Sed omnia pro impoſturis habenda ſunt, & otioſorum hominum ſomnia. Sed ad Lydium lapidem examinati ſunt à nobis ſinguli ſuo loco, quorum auctoritatibus contendunt Chymiſtæ, ſtudium Alchymiæ eſſe antiquiſſimũ, & in eis ineſſe auctoritatem ſummam ad faciẽdam fidem de veritate tranſmutationis metallicæ.

FINIS.



PRÆSTIGIARVM ET IMPOSTVRARVM CHYMICARVM DETECTIO

Nicolao Guiberto Lotharingo, Doctore Medico Authore.

NON incongruum nec inutile fore puto quia de vanitate & figmento Alchymiæ metallorum transmutatoriæ libris superioribus disseruimus, ac tam ex sacris quàm prophanis scripturis, metallificium quod moliũtur Chymistæ vanissimum esse & fabulosissimum demõstrauimus, aliquid etiã de præstigijs & imposturis Chymicis tradere, vt simplices & incauti, ad huiusmodi technas cognoscendas discernendásque minime sentícosam aut impeditã viam habeãt. Idque tantisperdum exeat in lucem tractatus copiosior quẽ de vitis & technis impostorũ Chymicorũ iam paratũ habemus.

Porrò tria precipua facimus præstigiarum & imposturarum Chymicarum genera. Quorum primum est cum Chymici impostores veris solidísque experimentis destituti Metamorphosis metallicæ, quam rerum naturæ ordo non admittit, ad aucupium crumenarũ vtũtur mendacijs, dolo malo, fraudibus, vafricie & suppositione, quibus & manuum quadam dexteritate deludẽdis viris bonis ac simplicibus ita oculorum aciem perstringunt, vt illis non aduertentibus dolum, alia pro alijs subdititia ostentẽt, ita vt verum aurum vel argentum sæpè fecisse videantur, re aliqua subtracta, & alia substituta. Idque tam præproperè, vt animos oculósque intuentium fallant, eísque persuadeãt prioris in hanc postesteriorem integram conuersionem.

Alterum genus præstigiarum & imposturarum Chymicarum est introductum vana quorumdam improborum curiositate & Dæmonũ fraudib⁹, ex quorum operatione, consilio & auxilio ipsi oculos fallunt circunstantium & decipiendorum. Pauperes enim & improbi ac impij Chymistæ cùm videant non posse peruenire ad finem intentum, Dæmonis auxilium quærunt ad inopiam redacti.

Qui Dæmones cùm probè ſciant, materiam, quòd ad rerum mutationem nec quòd ad augmentum vllo pacto eis obedire, cùm formæ eius poteſtati haud ſubſint, ſed Dei duntaxat, cuius infinita virtus, tam ad materiam, quàm omniū rerum formas ſe dilatat ac extēdit, ad præſtigias quibus excellunt, ſe conuertunt, faciuntque vt corpora aliter quàm ſint in gratiam magorum Chymiſtarum appareant.

Tertium genus eſt cum Dæmon ipſe prauitate ſua & odio in genus humanū occultè etiam præter Chymiſtæ intentionem ſe ingerit: & intrudit vanis inquiſitionibus Chymicis, vt mētes Chymicorum pernicioſis vanitatibus & fallacibus tranſmutationibus his implicētur, & feruentius his vanitatibus inuigilent, & vitam miſerè traducant, & vt tandem in deſperationis barathrū præcipitati opus ſophiſticū meditentur. Primi generis impoſturarum modos aliquos, exēplis non inamœnis depingit Eraſmus in dialogo Alcumiſtica, & in Ptochologia quæ breuitatis cauſa non refero. Ex hoc genere fuerunt deceptiones illius famoſi impoſtoris Bragadini, qui non ſolùm ſapientiſſimum Senatū Venetum,

ſed & multos & magnos ac Principes viros tam fraudulenter decepit. Is enim coram omnib⁹ fraudulentā & deceptoriam ſuam impoſturam confeſſus eſt, & ſe ex auri ramentis pulueribúſque quos mixtos carbonario pulueri habebat aurum ſuum liquaſſe. Quod & mandauit litteris Martinus del Rio lib. 1. cap. 5. diſquiſit. Magic. Necnon & Gregorius de Valentia tom. 3. diſput. 6. q. 3. punct. 2. vbi etiam ſcribit, quod quidam per litteras falsò affirmarunt, feciſſe ſe ex illis pulueribus Bragadini in eius absētia verum aurum. Quorum tamē pulueris vanitatem ipſemet Bragadinus inſtāte iam ſupplicio mortis, quâ pie' admodū Monachij obita, priſtinas fraudes expiauit, propria ſua manu in ſcripto, toti mundo teſtatus eſt, anno 1591. Ipſo Gregorio de Valentia vidente & pro ſalute animæ ſuæ agente. De qua re etiam legere ne pigeat Binsfeldium Comment. in tit. c. de malef. & Mathem. Non admodum diſſimili impoſtura vtebatur Angelus Siculus dum eſſem Romæ, & poſteà Neapoli, vbi miſerè & in ſumma paupertate vitam cum morte commutauit. Poſſem & plures ſimiles quos vidi commemorare niſi eſſet tedioſum & ſuperfluū. Q uem-

admodum enim circulatores oſtendunt in manu globulos, quos ſub Sitellã, aut ciathum ſeſe miſſuros profitẽtur: ac deinde ſub illa ipſa cotyla duo tantum, interdum verè etiam nullũ inuenitur, vel quemadmodum impoſtores quidã dum ſimulant ſeſe munus imponere altari alicuius Diui, mira dexteritate ſuffurantur, quod alius poſuerat, ita impoſtores iſti, in ſuis operationibus, oculos eorũ perſtringunt quos fallere propoſuerũt, alia pro aliis ſubdititia oſtentantes. Quas impoſturas & technas, ſi omnes enumemerare velim nunquam finis eſſet. Quibus omnibus recenſendis nunc ſuperſedeo. Tum quod minimè conſtituerim harum impoſturarum rudes nunc inſtituere, ſed fallaciarum duntaxat cõmonefacere. Tum etiã quia alibi, vt dixi, harum genera omnia detego. Quare hîc de his impoſtorum technis pauca ſubtexã. Non præteribo tamẽ vnum & alterum, nullius quidem ingenij, ſed multæ vafritici. Quibus quidam impoſtores meo tempore nomen ſibi parauerunt, non ſolùm imperitam multitudinẽ, ſed etiam nobiles plurimos decipiendo.

Accedũt igitur tales impoſtores ad capitis vacui iuuenes, aut ad aliquos alios

auripetas, promittunt montes aureos, cùm ipſi ſint aliquando Iro pauperiores. Inſpice aureũ hunc Rhenanũ (inquiũt) in ignem coniiciam, vbi figura non deperdetur. Quod ſi tutè, propria manu effeceris, vt aureum hoc, colore ita augeatur, vt aurum ducati referat, nonne artem laudabis? expectat curioſus & auarus inhians finem tanti momenti. Præparatis igitur prius rebus quibuſdam viliſſimis, adeunt ignem: auripeta, manu propria proiicit in ignem aureum & cætera ſigillatim. Cum demum aureum extrahitur è fornace, puritate quidẽ æquat ducatum Vngaricũ, ſed minoris eſt ponderis quã antea; quod non animaduerſum habet curioſus qui antea non ponderauit, nec poſtea ponderat, remanẽte ipſo aureo, penes impoſtorem. Quod cùm vel vigilãtiſſimos poſſit fallere, non mirum eſt, ſi homo curioſus, & auri cupidus, quiduis ſuppeditet pecuniarum, illi, vnde artifex mercetur ollas, vitra, carbones, reliquaque, quæ ad inſtruendam officinam pertinent: vt maius negocium aggrediantur. Alterum non diſſimile exemplum vafritiei Chymiſticæ ſubiungam, Conijce (inquit) impoſtor ducatũ vnum in ignem quod ſi tutè, tua

propria manu feceris, vt aurum hoc augeatur, nonne artem laudabis? Adolescens manu propria, proiicit in fornacē ducatū, & pulueres, quos impostor pro ingenio commentus est: ipse autē impostor folles tractat, & carbones suppeditat in vno autem carbonum cauato aurum gestat tritū. Quod in fornace cōgestum, cum illo altero conglobatur: Cum demum aurum extrahitur ex fornace, purius & maioris pōderis inuenitur, quàm antea. Numeratur pecunia impostori secretum promittenti.

Huius generis imposturæ modum describit etiā Martinus delRio lib.1. cap. 5. quæst. 3. inquisit. Magic. ex Ieremia Medero in Acroamat. Narrat enim Chymistas duos, societate inita, pacto firmasse vt alter Chrysōpœiæ certissimā artē se tenere profiteretur, alter Rhizotomū ageret, seu agyrtam empiricū, & inter cætera, scobem auri atro infectā colore, pro lunariæ puluere venderet. Ernestus Badensis Marchio, mirè deditus erat pyrotechniæ. Hunc ergo prior ille adit, & circumuenit, aureos mōtes pollicitus, & atria diuitis Cræsi: parantur omnia, & iam ille, cætera bellè (inquit) vnum duntaxat opus, Resch vocant

(hebræa voce) huius pulueres faciles inuentu apud quemuis Pharmacopæũ, vel Rhizotomum. Marchio puerũ mittit: commodo in Palatij aditu, ille alter merces ſuas expoſuerat, & vt ſolent hoc genus, nihil ſibi deeſſe, ſtentorea voce prædicabat. Adit eum Principis puer. Ille Reſch expromit, de pixidula fumoſa, & pro ſolido appendit, & quaſi foret obuium, ac conculcatum addit ſuperpondiũ. Puer Domino refert. Impoſtor tum puluerem inſpergit Hydrargyro, & aurum verum producit, ſed quod liquatum ex puluere: fit examen, verum aurum deprehenditur. Marchioni res mirè grata, & ipſe in magiſtrum beneficus ac grat⁹ probè dimittit. Chryſopœiã pergit vrgere. Feliciter quidẽ quamdiu Reſch durauit. Vbi eius reſiduum parum fuit; vndique conquiri iuſſit auriprolificam hanc materiam. Negabãt omnes ſi quis puluis, Reſch diceretur audiſſe, vel didiciſſe vnquam.

Itaque Marchio quod ſuperat, igne ſolùm liquat & auri ſcobem, impoſturamque ſimul deprehendit. Nec valdè diſſimile exẽplum vafritiei Chymiſticæ habetur apud Crollium, vbi in Baſilica, Chymica narrat de quodam impoſtore

qui auri puluerem de facie incognitam ſuis impoſturis miſcẽs cum dãno aliorũ, & ſuo cõmodo auri multiplicationem apud plurimos attentauerit. Et Saturni in lunam tranſmutationem mentitꝰ eſt, corneam quandam lunam incognitam aliis mineralibus & plumbo admiſcens. Porrò nec præterire tacitum iuſtum eſſe cenſeo, mirã calliditatẽ, ſiue potius fabulæ cõmentũ, ab hoc impoſturarũ genere non admodum abhorrens, Barnaudi, is enim tamdiu inani ſpe deluſus, alios illudere tentans, & ſuum damnũ & dedecus aureo mendacij velo obuoluere, auſus eſt in publicum hiſtoriam quãdam ſeu potius fabulam dare, cuius ſumma habetur apud ipſum Libauiũ, cum alibi tum in ſecundo tomo Syntagmatis pag. 359. vbi narrat ipſum Nicolaum Barnaudũ, Guilielmi Vrſini à Roſis in Bohemia Medicum, amicitiam contraxiſſe cum Anſelmo à Boodt Medico Belga, & ab hoc accepiſſe proceſſum lapidis Philoſophici, quem inuenerat appoſitum confractis Cymbali aurei in pelle arietina deſcripti tabulis cum puluiſculo, quo veritas deſcripti artificij cõprobaretur. Comprobatam quidem fuiſſe verã trãſmutationem argenti viui in aurum pu-

rissimum iuxta assertionem : sed cum postea tum Anselmus tum alij ex descripto, puluerem aurificum vellent concinnare, non potuerunt vt potè sequētes litteralis sensus tenorem, à quo absterrēt filios doctrinæ philosophi. Ne verò omninò periret & gratia Dei cæteris, qui fortè felicius in ea re sint versaturi, subduceretur, in publicum cum bona sui fama & memoria præclara processum dedit qui est huiusmodi.

Recipe auri obrizi vncias duas: Mercurii magno artis studio elaborati decuplum misce & vulcano lāguido dissolue, dum Mercurius expiret, auriq; impositi pondus maneat in atrum puluerem redactum, qui tamen liquatus possit in antiquam auri naturam conuerti. Ex hoc puluere Mercurium igne vaporarij aquā continentis, elice, dum puluis in calcem niueam deuergat: hanc septies aqua resperge, quæ toties expiratione inde prolecta sit, & omni cura elabora, vt hac impulsione & excursione crebra sese extenuent, & ab omni sorde, & fæce euadant purissima; vimque recipiant superiorum & inferiorum, descendendo in terram, & rursus ascendendo, vt in Hermetis Smaragdina tabula legitur.

Hæc aqua eſt Azoth, ſpiritus viuens. Terra eſt fermentum: aqua eſt mas: terra vel calx, fœmina: quorum cõplexu naſcitur infans lapis. Sed non quouis tempore concipit mulier: verum tum demum, cum vterus à natura conceptui præparatus eſt; proinde calcem purificatum ſeu ſolem Philoſophorũ obturato vaſe putrefac, ſeu recõde ad digerẽdum 40. diebus dum in humorem album, & craſſum liqueſcat. In hunc iuſtis dierum interuallis aquã ſenſim infunde. Hæc eſt maris & fœminæ coniunctio, qua mirũ in modum vniuntur, vt fœmina maris amore tota perfundatur. Hæc eſt ſolutio: relinque, donec rurſus ſuas vires recuperet. Tunc iterum coeat idque toties, donec calx omnem ſuam aquam ebiberit, tunc vterus clauſus ſit, ne quid expiret. Nam tum infans concreſcit, & ex illa frequẽti copulatione & ſolutione lapis concreſcit. Qui colores fiant omnes, explicant Philoſophi. Hæc vera eſſe, hic puluis oſtẽdit. Hunc pone ſuper Mercurium in nouo tigillo, vt tamen Mercurius aërem habeat. Ad drachmas duas pone duodecimam grani partem. Da fortem ignem. Poſteà adde boracẽ. Habebis drachmam vnam auri. Si multipli-

cationem ſcis, non opus habebis lapide. Inuenies apud me integrum proceſſum, ſi felix es, cum omnibus ſuis circunſtantijs: quamuis iſte ſufficiat, ſi diligens es, nihil enim deeſt. Vale, & ab hoc infelix es, ſi abſtraheris.

Hucuſq; Libauius ex Barnaudo. Quæquidem omnia pro meris nugis, & impoſturis ducēda ſunt. Nam præterquàm quod huius rei fides ſtatim in dubium vocari poſſit, & à perſonæ referentis circumſtantia, & qualitate, & ab alijs, venit inprimis, conſiderandum, quòd hæc impoſtura facilè deprehēdi, coarguíque poteſt, à quouis qui in lectione Fernelij ſit mediocriter verſatus. Nam proceſſus hic mirabilis, & tam ſecretus, quē in lucem putat edidiſſe Barnaudus, non eſt alius ab eo quod ante quinquaginta annos ipſe Fernelius, in publicum dedit, ſi pauca excipias immutata & adiecta. Proceſſus igitur Fernelij eſt huiuſmodi ex lib. 2. cap. 18. de abd. rerum cauſ. vbi rationem docet extrahendi ſeminis ab auro: auri puriſſimi vncias duas, argenti viui magno artis ſtudio præparati decuplo permiſce, ignéque languido diſſolue, dum argentum viuum prorſus expiret, priſtinúmque auri pondus ſubſideat

in atrum puluerẽ redactum, qui tamen liquatus poſſit in propriam auri naturam redire. Ex hoc dein puluere igne acerrimo vaporarij, aquam continenter elicies, dum puluis totus in cinerem candidiſſimum & in calcem deuergat. Calcem ſepties aqua reſperge, quæ & toties expiratione inde prolecta ſit: omníque arte elabora, vt hac impulſione & incurſione crebra ſeſe extenuent, & ab omni ſorde fæcéque puriſſima reddant vires ſummas conſequuta. Hæc duo ſunt totius artis operíſque conficiendi primordia, in quibus mundi quatuor elementa deuinciuntur, nam in aqua, aër etiã ineſt, in calce terra, atque ignis, fitq́; quod in Smaragdina Hermetis tabula tanquam inſculptum myſterium legimus: *Aſcendit à terra in cælum, iterumque deſcendit in terram, ſicque vim recipit ſuperiorum & inferiorum.* Qui ænigmate hæc contexerunt, hanc aquam appellant argentum viuum, calcem verum ſulphur, quorum permiſtione lapis fit, perinde atque ex aqua farináq; panis: alij aquam ſpiritum viuentem, terram fermentum: alii illam marem, hanc fœminam dixerunt, quorum complexu & coitione procreatur infans. Opus autem poſtre-

mum, vt compleas, calcem puram obturato vaſe reconde equino fimo calente, diebus quadraginta, dum in humorem album & craſſum liqueſcat. In hunc iuſtis dierum interuallis aquam ſenſim infunde: ea quidem via & ratione, quam artis periti ad vnguem explicarunt, vt calx aquam ſuam omnem ſenſim combibens quaſi illinc enutrita in lapidem verum concreſcat. Quàm variam colorum mutationem hoc temporis curriculo debeat lapis ſubire, & quæ indicia illius conſummati perfectíque exiſtant, expreſſum etiam ab illis patefactúmque eſt. Hic theſaurus immenſus, hoc verum Elixir, hoc frugiferum ſemen, cuius drachma ſi in ducentas & quinquaginta liquati plumbi, aut ſtanni drachmas infundatur, id vniuerſum in aurum puriſſimum conuertet. Imò etiam, vt cum Poeta loquar.

Ipſius vt tenui proiecta parte per vndas
Æquoris, argentũ ſi viuum tum foret æquor
Omne vel immenſum verti mare poſſet in
aurum.

Hæc Fernelius. Quæ ſi cum Barnaudo conferre non grauetur veritatis amator, dolus Barnaudij erit manifeſtarius, &

facilis animaduerſu: & deprehenſa impoſtura irridere poterit Sophiſtam Libauium, qui in diuinatione, quam pro interpretatione edidit in proceſſum Barnaudi, non benè diuinauit, quando hæc verba: *Quæ toties expiratione prolecta ſit*, non intellexit, ſed putauit hunc proceſſum Barnaudi Belgico ſermone fuiſſe conceptum, indeque in Latinum tranſlatum, cùm tamen ex ſuprà deductis ſatis conſtet & ſermone latino fuiſſe conceptum, & à Fernelio ſcriptum, vt & modus loquendi & verborum pondus ſatis etiam indicant.

Cæterum vtrum Fernelius Philoſophicum lapidem probauerit necne, diſputat Iacobus Aubertus Vindo, in Progymnaſm. in eundem de abditis rerum cauſis, in hunc modum: bona ſufflonum pars, & eorum præſertim, qui cæteris præſtant, certè ſua ſpe falluntur. Quippe, qui Fernelium libro ſecundo de abditis rerum cauſis, lapidem Philoſophicum probare contendunt. Longè enim ſecus ſenſit ille, veluti ex Eudoxo, qui omnia diluit argumenta, à Bruto de iſto lapide propoſita, licet cuique percipere. Etenim Eudoxus Philiatrum carbonariorum Elixir, vt quid abditum & superna-

turale admirantem sic interrogat. *Siccine è Philosophia ad diuitias habendi desiderio quasi inflammatus raperis? Vide ne quod postremo additum est fabulam detegat.* Hæc Fernelius. Quibus lapidē Philosophicū nihil aliud esse, nisi vanorum hominum & impostorum figmētum perspicuè demonstrat. Quare tanto viro, & de vera Philosophia & Medicina bene merito magnam faciunt iniuriam, ipsum demētię insimulantes, imò verò ipsos ludit, & artis imposturas detegit: & quæ deinceps sequuntur.

Porrò quod non suo sed ore alieno loquatur hic Fernelius, cōstare potest etiā ex Blasio Viginerio summo Alchymista qui in suis cōment. Gallicis in Philostratum scribit, hæc quæ in libros suos de abditis retulit Fernelius, conuasata esse ex imposturis Mollani magni Chymistæ, qui cùm à Fernelio quandoque irrisus esset, à maligna voluntate deprauatus, & ipse quoque vicissim Fernelio elusit, tradens illi pro comperto lapidis Philosophici descriptionē, quam in libros suos de abditis transtulit. Verum quomodocumque sit nullam iacturam fecisset respublica litteraria, si his nugamentis & rebus friuolis libros suos non conspurcasset

cassset Fernelius. Poterat ab iis superse-
dere & animo secum perpẽdere rectius,
secum conscientiæ tum famæ consultu-
rum fuisse potius tacendo, quàm licen-
centius loquendo de ijs quæ sibi incom-
perta erant & incognita. Sed vt ad im-
posturas Barnaudi reuertar, vt omnia
quæ præsẽtis sũt tractationis prosequar,
non inutile fore exstimaui his addere
quod dum hæc transcriberem, D. Ste-
phanus Regnard Tullensis Medicus &
Collega meus, vir & eruditus & variæ le-
ctionis ac librorum heluo, mihi legendũ
dedit librum quendam gallicum nuper
impressum, cui titulus est: *Le Magot Ge-
neuois &c.* In quo libro ornatur ipse Bar-
naudus ex suis virtutibus, in hunc mo-
dum, videlicet: *Basillon Ministre contre le-
quel le Capitaine Gautier Gouuerneur de Pec-
cais auoit escrit au Synode des lettres par les-
quelles il l'accusoit d'auoir affronté de quatre
mil escus vn Medecin Papiste de Lyon, nommé
Richardon, luy vendant vne recepte pour la
taincture des metaux, laquelle estoit fausse:
Item de trauailler tous les iours à l'Alchymie,
empoisonner plusieurs personnes par ses subli-
mez, antimoines, & autres drogues veni-
meuses, faire mesme la fausse monnoye: me-
stiers qu'il auroit appris d'vn Medecin dit*

Barnaud, lequel il auoit retiré en ſa maiſon, nonobſtant qu'il fuſt excommunié, pour eſtre conuaincu d'Arianiſme, & auoir faict vn liure abominable, duquel le tiltre ſeul faiſoit dreſſer les cheueux de la teſte, l'ayant intitulé De tribus Impoſtoribus, &c. Vides quàm benè totus impoſtor Barnaudus depingatur. Profectò ſatius, & longè melius eſſet, tales homines nunquam natos fuiſſe, aut ſaltem nihil vnquã ſcripſiſſe, quàm ſcriptis ſuis occaſionem peccandi & decipiendi homines, tam multis alijs præbere, ac multifariam regnum Satanæ longius amplificare.

Secundum genus præſtigiorum quibus Alchymiſtæ res apparere faciũt alia quàm non ſint, fit per magiam & Dæmonum inuocationem & auxilium, vt diximus, exemplũ habemus in Georgij Cedreni annalibus, quod etiam refert Martinus del Rio locò citato, quòd ſic narrat Cedrenus: quidam ex eorum numero, qui Chymicam artem profitẽtur callidus hominũ oculos impoſtura præſtringere, argẽtarijs alijſque obtulit manus pedeſque ſtatuarum, & alia aurea, dicens ſe theſaurum reperiſſe: multóſque ita deceptos ad paupertatem redegit. Fama vulgata captus, & ad Anaſta-

ſium perductus, frenum equi ex ſolido auro conflatum ac margaritis cõſertum obtulit. Sed imperator freno accepto; vt omnes inquit feſelleris, me profecto non decipies, ſtatímque hominem in caſtellum quoddam relegauit, in quo tandem perijt.

Haud diſſimile exemplum deceptorij effectus memini aliquando legere in annalibus Gallicis per Magiã facti, & quamplurima alia huius generis exẽpla, quaſi digito commonſtrari poſſent ne aliquid dicam de Dalmaut Hiſpano, de Hieronimo Scoto Placentino, ac alijs innumeris viris diabolicis, qui per ſummam ludificandorum oculorum peritiam, carbones ac alias res, auri & argenti imaginibus adumbrare callebant, fallacibúſque formis varios obſcurare cõſpect⁹. Adeò enim coniuncta eſt magiæ Alchymia, vt non pauci fuerint & ſint, qui omni metallificiũ inueniẽdi ſpe amiſſa, ſeſe nephariјs artibus magicis tradiderint, & tradũt, & ita Dęmonũ cultores facti & familiares ab ijs diſcunt impoſturas magicas quibus vtantur & incautos decipiant. Vnum tantum huc afferã ex veteri amico meo Iano Matthæo Duraſtãte Medico & Philoſopho Piceno, is igitur in ſuo

libro problematum, dæmonicũ exemplũ tale narrat. Iacobus Albertus, Iurecõsultus Camers diu quidẽ olim in Illustrissimi Iulij Cæsaris Varani Camertiũ Domini curia diuersatus olim est. Post cuius mortem, turbatis iam, atque (vt fit) direptis omnibus bonis arripuit & ipse libellum quendam Necromanticum, in prænominati Domini quadam arcula iãdiu seruatum. Quo arrepto, sub inde ad montem causarium vnde prædiues eius vxor originem traxerat prius quàm furtum patifieret, remigrauit ibi lõgam adusque mortem vitam degens. Libri vim nunquam expertus est, magicæ quidem penitus artis ignarus. De magica tamen eius facultate, cum vnico eius filio, nomine Arriuabeno, mihi quidẽ familiarissimo, quadam die nonnulla susurrauit. Defuncto genitore, diuiteque quadã mulier vxore assumpta, cœpit Arriuaben⁹, sese in Alchymiæ fallacias, Chymistis quibusdam furciferis, ei rem suadentibus, pedetẽtim ingerere, cumque post longa in id genus arte experimenta, dotalia multa, nedum patrimonium pene totum, frustra iam absũpsisset obuiassetque forte fortuna die quapiam Germano cuidam peregrino,

Alchymicæ id gen⁹ artis haud imperito. Salue dicens, eum interrogat quemnã ex Germania in Italiam ob finem accessisset. Cui ille respõdit se adire percupere montem victorem, quem Sibillæ nos Piceni mõtem dicimus, vt magicum libellum inibi consecraret. Et Alchymiã cum diuite aliquo exerceret, quod eius rei peritissimus iamdiu esset. Huic fidẽ adhibens Arriuabenus, propriam in domum eum conducit, voti eum citò cõpotem fore pollicitus. Ibique via ambo diu commorati, multa sunt experti in Alchymicis. Verum tamen, cum in dies omnia præter intentum, ac spem, succederẽt. Germano magicum libellum suũ, casu patefecit, cautéque ostendit Arriuabenus. At ille codiculi vim optimè perpendẽs. Experiamur amabo (inquit) verane, an somnia, liber contineat. Experiamur obsecro, retulit Arriuabenus. Quamobrem statuta die, libellum & ensem (inermi Germano coeunte) sic enim pacti iam fuerant coassumpsit Arriuabenus, inque montem Causarium ante solis ortum ambo clam abeunt. Ex montis Ausariensi oppido, ad Montisanctium ac Lauretanum, euntibus, vallis quædam & per eam torrens, nomine

Aſula, ex Appenninis montibus, in Adriaticum defluens mare, occurrunt. Quò cum Italus, ac Germanus iam perueniſſent; denſiſſimã quandam Syluam, in ſiniſtra Torrentis ripa virentem, ſimul ineunt. In cuius intimo, nonnullis iam ſuccisis enſe dumis, areáque vt opus erat confecta, ex templo à Germano præmiſſis ceremonijs, ob talem peragi finem ſolitis; necnon amplo cum Geometricis quibuſdam characteribus, ferula præſignato circulo, in eum ambo congrediuntur. Subinde Arriuabenus ipſe, qui ei credere librum nolebat, cum Germano iam pactus, arctiſſimè cum ſiniſtra, gladium dextra tenebat, illius iuſſu eum aperit. Eo iam patefacto, geminos tantum ſub militari habitu dæmones, Germano conuocat Germanus, idiomate. Quibus iam conuocatis, eccos ſubinde maximo cum vento, fragoréque binos cacodæmones, alterum Equitem Galeatum, thoracatum, & opportunis omnibus armis refertum, equúmque equitantem nigerrimum; alterum peditem, ei præeuntem, enſe ſuccinctum humeróque ſariſſam geſtantem. Quorum oculi mobilibus quibuſdam adeò commicabant flammulis, vt carbonarios, vel

facilè existimasses, ac difficile eos concernere valuisses. Cùm iam ad homines, cacodæmones hi concurrissent, quid petitis? inquiunt. His Barbarus homo respondens, Germanicè multa quippe interrogauit, singulorúmque responsa tulit. Tandem cùm iussisset in Tartara eos redire, *Habenas iamiam vertenti*, (inquit Arriuabenus.) *Quidnā de nostra futurum videtur Alchymia?* cui subinde responsuro Germanicè Germanus. *Abi*, inquit, *ne amplius loquere*. Quibus auditis, eisdem quidem & fragore & vento, quibus illuc concesserant, concitis, in Tartara statim abiere. Postquàm illi iam euanuissent, Germano cœpit Arriuabenus exprobrare, malè eum egisse, qui Alchymicum sibi responsum Dæmonem reddere prohibuisset. Indéque in certam Alchymicæ falsitatis, ac vanitatis suspicionem prolapsus, postridie eum dimisit. de mira Magici libelli sui perfectione iam certior factus. Inde fere ad biennium, cùm misellæ eius vxoris patrui, nollent Arriuabeno, quòd malè rem suam gessisset, dotis expostulanti residuum persoluere; furoris Oestro percitus, dæmonicum libellum corripit, eandem Syluam & aream adit. Eisdémque omnibus (vno

excepto) quæ Germanus olim inibi molitus fuerat, iam peractis. Eccos statim cum solito aëris vẽtoso, atque arborum fragore, penè innumerabiles dæmonas, & turpissimas vultibus effigies, & asperrimos vncis manibus, baculos præ se ferentes. (Oblitus enim ob iracundiæ vim iam fuerat Arriuamalus, & quot, & quali facie, ad se venturi forent, vt olim Germanus effecerat, illis præcipere.) Et circa præsignatum ab eo circulum, (intra quem misellus stabat) astantes, minis eum perterrebant, èque circulo eum deturbare connitebantur, quid petis, quid petis, eorum singuli cõflagitantes. Quas ob res iam exterritus, mẽtis inops, ac modò huc, modò illuc, ob pauorem intra circulum discurrens pauperculus Arriuamalus, extra circulũ inscius prolabitur, prolapsum affatim conuerberantes, hinc inde proripiunt dæmones, ac librum ei subripere cõnituntur. Eum tamen intra sinum ab eo reconditum, eripere nunquam valuêre. In Asulanum pontem interim discurrens, interdum repens, Arriuamalus iam peruenerat: non enim adeò mentis erat & consilij inops, vt recti penitus esset oblitus itineris: è ponte in Asulanum torrentem eum

deturbant dæmones, adeò vt parùm quidẽ abfuiſſet quin (vt aqua cœnóque refertus erat) in eo miſerũ ſuffocaſſent. Fortè fortuna Monticauſarienſis quidam ruſticus, aſellum agens (lignatum namque rus ibat) Aſulanum ipſum pertranſit pontem. Vbi expauefacto, refugienteque aſello, Arriuamalum ipſum in cœno natantem, ſemique animem, deſpicit. Deſpectum clamitat. Clamitatum, ac iamiam quadamtenus reſipiſcentem, crinibus arripit. E luto detrahit. aſinique ope ad coniugem in oppidum vix reuehit. Ad eam cùm iam perueniſſet Ariuamalus, quid moraris (inquit) vxor cur non hiſce, qui me huc comitati ſunt, comitibus, cœnam iam paras? Illa verò, quæ & de libello quæpiam ab eo iam perceperat, & eundem in eius tunc ſinu repererat, viraginem, hoc eſt virũ quàm femellam, potius agens, eum clã ſurripit. Fratrem Iulium quendam Seruilianẽſẽ Auguſtiniani Cœnobij Priorẽ, ſibi cum vicinia, tum honeſtiſſima familiaritate iunctum ſtatim accerſit, codicémque ei porrigit. Quem ille arripiens, bono (inquit) animo mulier eſto. Nam & libellum hunc in ignem, & quos aſſeris Dæmones in infernum, iam iam de-

mittemus. His dictis, cœnobium adit, ſacriſq; induitur pannis. Eueſtigióque, tum ſacroſancta Cruce ab eo, tum benedictæ, quam vocant, aquæ vaſculo à iuniori quodam Heremita, præſumptis;ad mulierem, cui vt ignem ſtatim accenderet, abiens præceperat, redit. Librúmque tam fœmina quàm alijs, qui illuc (vt fit) iam multi concurrerant, ſpectantibus, in ignem proiecit. Arriuabenus poſt factum hoc (licet decolor ac valetudinarius sēper extitiſſet) diu ſuperuixit, mihique rem hāc anno Domini 1541. amicè expoſcenti, libentiſſime ad verbum retulit. Quem tamen ab alijs nōnullis iamdiu audiueram.

Tertij generis præſtigiarum exemplæ quia non ſunt adeò nota vulgo, & tamē plurimum faciunt ad Chymicam vanitatem oſtendendam, & ad docendū Dæmones miſceri rebus Chymicis non ſecus ac alijs ſimilibus curioſis vanitatibꝰ, vt & operātes circa hæc vana & inutilia detineant, & huiuſmodi vanitatibꝰ irretitos tandem ſocios habeāt, ideò de hoc tertio genere præſtigiarum paulò fuſius dicere, operæ preciū fore exiſtimaui, & recitare aliquot exempla memorabilia, quæ ab ipſo dæmone horum patratore

profluxerunt.

Magna equidē est hæc diaboli illusio, quâ constat multos esse deceptos, præsertim nimium curiosos, qui sine præuio examine, sine luce, inconsultò & ausu temerario Alchymiæ vanitatē amplexi sunt, veritatem contemnentes. Permisit enim Deus vt diabolus eos deciperet, & in mille errores ageret transuersos.

Quod autem dæmones rebus humanis se immisceant, homines à veritate falsis auertendo præstigijs, mentésque humanas ad pessima quæque instigando atque impellendo, humanis oculis præstigijs illudendo, falsaq́ue pro veris offerendo, non solum nostra, sed & Ægyptiorū vetustissima Theologia apud Trismegistum prodidit. Præsunt enim non solùm maleficiis, præstigijs, & incantationibus, sed & miscentur omnibus rebus vanis ac insanijs falsis, cuius generis princeps est Alchymia, quo fit vt, Deo ita permittente, ipse cacodæmon mille nocendi artes habens, & tanquam leo rugiens quærens quem deuoret, nimis curiosos circumueniat credulitate, ita vt qui vigilare aduersus illius insidias negligunt, euanescant in cogitationibus suis, & cùm se credant sapientes, stulti

fiant. Tradit enim Deus aliquando iſtos nimiũ curioſos illuſionibus dæmonum, vt operantes circa hæc vana, & inutilia detentos, vitã miſere traducere faciant, & tandem illos ſocios habeant, tum impietatis, tum æterni exilij. Itaque mille illis artibus quas habent dæmones, ſemper deceptores & mendaces, ipſi fallunt Alchymiæ deditos, ac illis oculorum aciem ita quandoque perſtringunt alia pro alijs ſubdentes, vt aurum & argentum feciſſe, ac vnum in aliud metallum conuertiſſe non ſemel viſi ſint nonnulli. Licet poſteà cùm ſæpius etiam magna adhibita cura tentaſſent idem opus efficere, nunquam potuerint, cùm tamen ſi naturaliter ea contigiſſent perpetuò aut fere ſemper id fuiſſent aſſequuti. Franciſcus Picus lib. 3. cap. 6. de auro, ſcribit quẽdam ſemel ſe ex mobili argẽto quod viuũ dicitur, ſtabile verúmque argẽtum confeciſſe ſuccis & folijs herbarum, idque vendidiſſe peritis. Eiſdẽ mox vſum ſe folijs fruſtrà, & quod ſemel perfecerat nunquam aliàs quanquã id ſæpè tentaſſet, perficere potuiſſe.

Alium nouiſſe ait qui dum ſcriberet adhuc apud viuos morabatur, cui cum argentum & aurum circiter quindecies

per artẽ effectũ esset, amisit artem eam, accepitque oraculo socij per quietẽ habito id ingratæ mentis vitio contigisse.

Alium sibi retulisse, sese aurum ex argento fecisse semel magna copia, secũdo eisdem se vsum rebus, fecisse quidem, sed minima semper quantitate sic vt detrimentum lucro maius esse supputauerit. Venisse in mentem vti detrimẽtum effugere posset, si non ex argento sed ex ære melioris conditione metalli sese consequi experiretur, idque se cõiecturis firmis nixum tentauisse, cúmque in eo fuisset vt rem sese speraret adepturum, miris modis euenisse vt nihil omninò consequeretur, aliquando euanida materia, aliquando casibus varijs intercurrentibus, eius tamen conditionis vt apertè cognosceret impedimẽta aliũde quam ex humana potestate proficisci.

Narrat eundem affirmasse ab amico qui hoc ipsum expertus fuerat, accepisse, qui cum ex Cinabari fecisset argẽtũ optimum sepenumero, sese posteà insistentem operi maiore cum diligẽtia semper euentu rei fuisse frustratũ. Quod & meo tempore accidit cuidam Pharmacopolæ Perusino, qui posteà Alchymiæ trãsmutatoriæ tam egregiam operam locauit vt

in magnam paupertatis miſeriã inciderit. Sed quid multa referam ipſemet Frãciſcus Picus Alchymiæ vanitatibus deditus ingenuè fatetur malos dæmones immiſcere ſeſe rebus Chymicis: ſeque dæmonis præſtigijs quãdoque illuſum eſſe ac huiuſmodi illuſionem Crucis ſigno extemplo pepuliſſe, quod his verſibus poſteritatis memoriæ mandauit.

Interdumque malus dæmon ſeſe ingerit, atque
Omnia perturbat, ni compeſcatur Olympo.
Nam memini in fuluum mutarier atra
Ordine naturæ tranſuerſo, iamque metallum
Effugere ex oculis, res eſt non falſa renidens,
Et calcem flammæ victricem tẽdere in auras
Ignibus exiguis, paruoque afflata vapore
Diſperijt ſubitò, in tenues euanida ventos
Mirabar, cauſamque ſimul ſcrutabar olympo,
Cum lux affulſit menti caligine pulſa
Namque Crucis ſignum pepulit ludibria nigri
Ditis, & in priſcum res eſt renouata vigorem.

¶ Hieronimus Rubeus Medicus non infimus refert, ſanctè ſibi affirmaſſe, Virũ ſanè probum atque honeſtũ, qui totam ferè ętatẽ mẽdacijs huiuſmodi cõſumpſiſſet, ſe argentum viuum ſemel in argẽtum optimum quibuſdam gummis vertiſſe. Verũ cũ idẽ ſæpius deinde magno ſtudio tẽtaſſet, efficere nũquã potuiſſe.

Sed operæpretium erit nosse quibus ludibriis & diabolicis technis Theobaldus de Hoghelande Mittelburgensis Archichymista, & quidam eius amici & socij fuerunt illusi, quod ipsemet literis mandauit libro cui titulum fecit de Alchymiæ difficultatibus, & quæ multorum posteà laborum & sumptuum sibi causa fuere. Narrat enim in substantia quod cùm post multa studia non potuisset aliter rationari quàm aurum & argentum viuum vulgaria constituere lapidis materiam: his purgatis & coniunctis in vitro oblongo hermeticè sigillato & athanori imposito, incœpit lentum subministrare ignem, multis modis anteà à se tentatum omnia pro votis succedunt, & in decoctione colores paulatim emergentes in superficie Mercurij apparere cœperunt, ita vt duas materias agere & pati inter se manifestè conspicere videret. Tertio die maiorem superficiei partem occupari vidit tribus coloribus, viridi imprimis, rubro, & cinereo, non confusis quidem sed terminis suis distinctis, & iridis alioqui coloribus non absimilibus. At cùm paulatim per medios istos colores ad nigredinem se peruenturum speraret, & vl-

terius decoquẽdo albedinẽ & postremo rubedinem consequuturum paucis post dieb⁹ igne fortuito casu noctu extincto, & vase refigerato, nullam amplius alterationem videre contigit, nihil tamen hoc damno commotus post varia impedimenta quæ tunc illum prohibuerunt à reiteratione operis tandem via superi⁹ descripta procedit, At primum attractiuam illam vim quam antea in argento viuo admiratus fuerat deesse cõspicatur, nullamque decoctione alterationem inuenit. Repetit ter, quater, imo sæpius, nunc aurum culpando, nunc aliud, sed frustra. Tandem suspicatus argentũ viuum quo prius vsus fuisset diuersæ fuisse mineræ ab eo quod tunc haberet, curat habere argentum viuum minerale Hispanicũ, sed nihilo meliore euentu: aliud adferri curat sed frustra tentatis omnib⁹ per bienniũ cum nihil proficeret, eadẽ semper reperta argenti viui natura, ille varias peregrinationes suscepit, adiitque mineras Germaniæ, vt earum differẽtias presens agnoscere & siquid peculiare vna ab altera haberet, inuestigaret: sed vt breuibus absoluam, nihil profecit.

Narrat etiam quomodo socius qui rebus Chymicis vacabat alibi & ijsdem

vijs

vijs procedebat tranſmiſſis ad eum mineralium partibus, pari arte dæmonum fuerit ludificatus, tandem poſt varios caſus variáque diſcrimina rerum, incœpit ea quæ ſibi euenerant attentius perpendere, & diaboli illuſiones timere, qui, vt inquit, circa friuola & mēdacia homines bonæ alioqui voluntatis detineri cupit, vt relicta ſemita pretioſum tempus inutiliter terant, nec aliter veritatē peruestigare curent, & tandem in deſperationis barathrum præcipitati opus ſophiſticū meditentur.

Idem narrat etiam compertum habere non ſolùm ipſum & amicum, ſed etiam alios eiuſmodi technis Diabolicis illuſos fuiſſe, qui quamuis circa inutilia operam impenderent, & experimenta tractarēt etiam naturæ contraria, tamen principia aliquando felicia habuêre, quæ fortuitò intermiſſa, nunquam reſtaurari aut ad eumdem ſtatum reduci potuerunt. Proinde conſulit vt artem quiſque dęmonis illuſionibus adeò obnoxiam vitet. Sed proh dolor! condolendum ſanè miſero iſto Theobaldo ab Hoghelāde, qui cùm fateatur ſibi hactenus non profuiſſe ſcientiæ Chymicæ ſtudium, in quo meliorem ætatis partem abſumpſit, nunc vt

quàmmaximè vtilis ſit laborans, eos abſterre conatur ab eius ſtudio. Non quod credat verum aurum huius artis auxilio effici non poſſe, ſed ob difficultatẽ artis potius quàm ob eius impoſſibilitatem.

Alexander Carrerius quæſtione de metallis, narrat ſæpè ſecum cōqueſtum eſſe amicum quendam fide dignum, qui accuratiſſimè operam dederat alchimiæ quod ſemel aurũ effecerat, exiguæ quidem molis, veruntamen quod cùm frequenter mox tentauerit efficere, ſemper ſpe fruſtratus, impenſam & operam inaniter conſumpſit.

Cùm Peruſiæ degerem ſtudiorũ cauſa, accepi Pharmacopolam probum atque honeſtum, nec Alchymiſtam quandoque cùm Cinabrium conficeret, materiã cinabrij in argentum optimum verſam eſſe reperiſſe. Verum cùm idem ſæpius deinde magno ſtudio tentaſſet, etiam obſeruatis, ſi dijs placet, ijſdẽ conſtellationibus, efficere tamen nunquã potuit vt votis potiretur, & ſic bona ſua mendacijs totus addictus conſumpſit.

Accipite aliud. Cũ anno 1569. medicinã facerẽ in Ciuitate Caſtelli, quod Typhernũ Tyberinũ antiquis vocabatur, quę viginti milliaribus Italicis diſtat ad vrbe

Perusia, contraxeram amicitiam cum Iacobo Pagano Ciue ad modum diuite, nimirum cuius annui redditus, vt ferebatur, ascendebant ad tria millia coronatorum, is per spatium nouem aut decē annorum ita operibus Chymicis dederat operam, vt eo toto tempore vix pedem domo extulerat. Vnde effectus tot⁹ melācholicus ac solitarius vitabat hominū cōgressus. Percontanti quandoque mihi affirmauit etiam magnis cum suspirijs, quod cùm ipse ad naturæ secreta inuestiganda, natura pronus, & fortunæ bonis dotatus, curiositate motus, reb⁹ Chymicis se addiceret, semel quam constituerat lapidis materiam positam in suo vase coquere cœpit ignē debitum subministrando. Omnia pro votis succedūt, & non solùm ad albedinem & rubedinē peruenit, sed etiam ad proiectionē quādam & auri confectionē. Verum intereà cùm hæc agerentur suborto tumultu & rixa inter vitellos & ciues Typhernates, cùm ipse secessisset in villam curassetque adferri inter alia vas vitreum quod materiam suam continebat, Casu quodam mirabili tota hęc materia ferè periit rupto vase. Quo damno nihil commotus, quod id facilè resarciri posse speraret,

ſecedens ab amicis via prius iam tentata procedit, ſed fruſtra tentatis omnib9 per multos annos. Cùm nihil proficeret, rem ad amicos quoſdam defert, conſulunt vt obſeruet eaſdem conſtellationes & cœli poſitus, quæ prius obſeruarat: reſumpto igitur animo per aliquot adhuc annos viam cœptam proſequitur: Nihil tamen omninò conſequitur labor irritus multorum annorum, vt apertè cognoſceret ſe à dæmone deluſum. Sub ijſdem temporibus in oppido quod Montonum dicitur non longè diſtans à Typherno, quidam Nobiles ſociati, falſa ſpe lucri irretiti, ſibi perſuadebāt habere verū quoddam experimentum breue & facile ad multiplicandum aurū. Aurificem mihi notum & familiarē ſibi aſciuerunt, cuius opera vti poſſent, cùm ipſi manus operi applicare neſcirēt: fiunt votorū ſuorum compotes, aurum non ſemel, bis, ter, quater, ſed etiam pluries conficiunt, in principio plus, & cū lucro, ſed paulatim minima ſemper quantitate, ſic vt tādem detrimentum ſentirent, quo factum eſt vt ab incœptis deſiſterēt, & cognoſcerēt ſe deludendos & fallendos dæmonibus expoſuiſſe. Et prudenter quidem, nam exiſtimare debuerūt quod ſi naturæ fuiſ-

ſent effectus, non tam rarò accidiſſent.

Salinas ſacerdos Hiſpanus, olim familiaris meus, quem vt diffuſè alibi ſcripſi, diabolus ſtrangulauit, Romæ anno 1571. cùm ab eo euocatus in circulo aurum & argentū conficiēdi modum requireret. Is, inquā Salinas, mihi narrauit aliquādo, quod cū ſemel tētaſſet facere Sophiſticū ex ære, quod multoties anteà effecerat, inuenerit totū illud æs conuerſū in optimū argentū, quod posteà nunquā conſequutus eſt, licet iterū atque iterū tētaſſet.

Claudius Ripettus Flāder dum Romę mihi inſeruiret iureiurando affirmauit, quod cùm in cochleari ferreo funderet aliquando quædam materialia, cochlear illud ferreum pro parte verſum fuit in æs optimum, quod iiſdem rebus Vſu nunquam tamen poſteà eſt conſequutus.

Sed quid opus eſt alienis exēplis? dum adhuc his vanitatibus operam darē, & antequam Alchymiæ vanitas mihi innoteſceret, egomet ſemel ex argento viuo verum argentū cōfeciſſe mihi viſus ſum ſalibus quibuſdam, idque Romæ 1570. quod dæmonis ludibrium, & ſi multorum poſteà laborum, & ſumptuum mihi cauſa fuit [cùm idem ſæpius deinde magno ſtudio tentans efficere nunquā po-

tuerim] tamen deinceps cautior factus fui in diaboli illusionibus dignoscendis & præcauēdis, ac Chymisticis operationibus & libris maturiori iudicio diiudicandis. Ita vt in progressu studiorū cōpererim Alchymiam esse meram vanitatē, & Diabolicis illusionibus subditam.

His annexam aliud quod per obliuionem penè omiseram. Cùm D. Ioannes Baptista Porta Neapolitanus iuuenis adhuc esset, & secretorum ac occultorum cupidissimus, & indagator acerrimus, habebat Pedagogum Dominicū Pizzimentium virum & litteris Latinis, & Græcis instructissimum, sed ipsis Chymicis vanitatibus non secus ac ipsum Portam mirificè deditum. Ambo quandoque buffonem inclusum vase terreo vnà cum argenti viui copia, igni lento admouerūt, quem per gradus auxerunt, donec sitibundus buffo bonam partem argenti viui absorbuisset, & tandem igne consumptus esset; remanente argento viuo fixo, & in argentum purissimum conuerso. At deinde cúm idem opus sæpissimè tentassent efficere, nunquam potuerunt. Quod vterque sæpius mihi aliquando narrauit: Pizzimentius scilicet dum Romæ agerem, tempore fœlicissi-

mæ memoriæ Gregorij decimi tertij, Porta verò dum Neapoli commorarer. Quem (licet vanum & periculoſum argenti parandi modum) idem Porta ſub ænigmate Phœbi & Pythonis memoriæ prodidit libro 3. Magiæ naturalis cap. 13. quem in iuuentute ſua edidit. Quanquã idem Pizzimentius mihi faſſus ſit eundem librum concinnaſſe, & ſub nomine memorati Portæ eius diſcipuli, in lucem emiſiſſe. Hunc tamen librum vti innumeris, falſis & non veris experimentis refertum, idem Porta ante aliquot annos caſtrauit, repurgauit, & auxit. Quanquã & caſtratus, limam & diligentiorem adhuc expurgationem requirat. Et vtinam dæmonum ludibria feciſſent ipſum Portam cautiorem.

Nam vt accepi ex litteris, ex vrbe Roma ad me nuperrimè tranſmiſſis R. D. Claudij Compagnot, Eccleſiæ Cathedralis Tullen. Canonici, idẽ Porta etiam in extrema ſenectute, ex affectata auri faciendi cognitione, ſibi auctoritatem parare apud multos adhuc ſatagit. Abſque quod ſibi vel alijs in his rebus profecerit vnquam.

Cæterùm quis rerum tam ignarus fuerit qui non putauerit dæmonis ludibriũ

fuiſſe, quod ipſe Hoghelande in Proemio libri de Alchymię difficultatibus narrat? videlicet: quod cùm Pariſijs ageret adhuc iuuenis, audiuit hortulanum quendam in vnum aceruum congeſtis herbis inutilibus, & ſpontè prouenientibus in ignem inieciſſe, vt illis in cinerem redactus lixiuium pararet: ſed cùm fortè tubus plumbeus ad aquas corriuandas eo in loco fuiſſet vetuſtate oblitus, aut non animaduerſus, vi ignis plumbum effluxiſſe, & in aurum cõuerſum fuiſſe, quod poſteà ablatis cineribus inuenerit, & eo diuendito pretiũ retulerit. Sed quis non miretur Hoghelandum tam magnum Chymiſtam aſſerentem id eueniſſe virtute non dubia herbę alicuius inter alias confuſæ, cùm debuerit id potius adſcribere dæmonis deceptoris aſtutię, qui toties ipſummet Hoghelandum decepit? nonne omnes Chymiſtæ, qui minus inſaniunt, fatentur cum ſuo Gebro, vnicam ſolam eſſe Medicinam, quæ à metallis vilioribus omnem corruptionem tollit? Nonne derident omnes eos qui putant in vegetabilibus & animalibus aliquid latere arcani ad metallorum metamorphoſin? nonne hæc omnia tanquam vana, & ab opere Chymico aliena damnãt.

Quin & ipſemet Hoghelandus in libro de Alchymiæ difficultatibus ſcribit, naturæ repugnare vt metalla in animalibus aut vegetabilibus inueniantur, cùm illorum principia planè diuerſa ſint, & nullomodo ſimul miſceri queant, vt in igne perſeuerent. Nec eſſe quod ſibi blandiatur quiſpiam eo quod argenti viui fluxibilitas ſiſtatur ſuccis quarumdam herbarum, & color quandoque illi coagulato & metallis imperfectis alius à naturali inducatur, per res, quæ aut ab animalibus aut vegetabilibus ortum habēt, cùm extrinſecè tantùm agant, & non altè penetrent.

Hæc igitur omnia vel à Magorũ præſtigijs, vel ab ipſo dæmone horum mirabilium patratore profluunt, quibus & maiora Deus quâ eſt prouidentiâ, illuſionibus ac præſtigijs perfici ſinit, ſiue quò pericula fraudium amantes in eis decipiantur, & niſi reſipiſcant, prorſus pereant, ſiue alio occulto illius iudicio.

Sed obijciet aliquis fautor Alchymiæ non fieri veriſimile talia ope dæmonum quæ dicta sũt eſſe facta. Nam ea quæ dæmonum fiunt auxilio, ſunt inania, veritate caſſa, & parum durant tanquã præſtigiæ, & deluſiones oculorũ, quod con-

ſtat ex operibus magorum. Porrò cùm opera quædã texiis quæ dicta ſunt durauerint, & auro diuẽdito pretium retulerint artifices, nullo modo fieri veriſimile aurum illud eſſe factum, niſi per cauſas naturales ac earum vim non excedentes huic obiectioni reſpõdeo, quod & ſi, vt plurimum verum ſit, ea quæ ope dæmonum fiunt, parum durare, nec diu latere fraudẽ, tamen certum eſt, quod ipſe dæmon quandoque etiam cautiores decipit, ſubdens verum aurum & argentum rebus Chymicis, quas ſubtrahit, idque tam præproperè vt animos oculóſque intuentiũ fallat, Alchymiſtiſque perſuadeat vnius rei in aliam conuerſionem. Nullum enim eſt dubium, quin dæmon poſſit, Deo ita permittente, aurum & argentum etiam dare clientibus ſuis. Sed non ſolere niſi rariſſimè, & quando id euenit, non ſine quodam & imperſcrutabili iudicio Dei id fit. Quod verò dæmon poſſit verum aurum & veras pecunias largiri ſi velit & Deus permittat, patet multis exemplis eorum, quibus pecunias ipſe dæmon ſuppeditauit. Nam vt prætermittã quæ ab Angelo in ſumma pro hac quæſtione enucleanda afferũtur, cõſtat ex Vierio, Vvechero, & pluribus

alijs quod in Marchia Germaniç Prouincia, ante non multos annos extitit puella dæmonio correpta, quæ cum raperet pilos à veſtibus, illi pili vertebãtur in nũmos Marchicos, quos deuorabat puella longo fragore dentium. Quod ſi figuræ illæ nummorũ interdum ex manibus puellæ extortæ erãt, veri tamen nummi remanebant, qui adhuc à nonnullis ſeruantur. Damhauderius de pecuniæ vituperio diſſerens, quatuor exemplis commemorat auri à dæmonibus dati. Stuphius magicis pecuniis exercitum ſtipẽdiauit. Treuiris veras pecunias largitus eſt dæmõ doctori Vlaet, del Rio referẽte. Remigius in Dæmonolatria cap. 14. narrat, quod ſaga vna Catharina Ruffa Pangæi cal. nouẽbr. 1586. inter omnes quorum quæſtiones capitales in manus ſuas venerunt, agnouit nũmos tres ſe ſemel ſine fraude à ſuo dæmone recepiſſe. Charondas in tomo tertio ſuarum reſpõſionũ iuris Gallici narrat, quod Maria Martina cõmorans in oppido Nouæuillæ regalis in Picardia, quç fuit patibulo affixa & ſtrãgulata, anno 1586. confeſſa eſt, quod ſuus dęmon ſoluebat illi & ſatisfaciebat pro malefactis quç perpetrauerat, tam in viros quàm in fęminas & animalia ad

rationem duntaxat duorum ſolidorũ & ſex denationum pro quolibet maleficio perpetrato in maſculum: & duorum ſolidorum pro qualibet fœmina: & duodecim denariorum pro bruto, idque verè & realiter. Et quod in vltimo earũ conſiſtorio receperat duas quartas partes vnius aurei, quibus emit triticum, & quod poſteà etiam recepit vnũ teſtonem quem ad neceſſaria emenda inſumpſit. Poſſem & alia commemorare, quibus nunc breuitatis cauſa ſuperſedeo. Quare finem imponem⁹ huic tedioſę lucubrationi, quam optamus vergere, & ad Dei opt. max. honorem & gloriam, & ad generis humani vtilitatem.

FINIS.





TYPOGRAPHVS Benigno lectori.

IN calce libri te monemus (Benigne lector) quod propter prӕli festinationem imminentibus Nundinis, non potuimus publicare partem posteriorem Apologiӕ, nec alios libros eiusdẽ argumenti, quos, Deo dante, proximis Nundinis Autumnalibus tibi communicabimus. Et si hos labores tibi nõ ingratos fuisse intellexerimus, operã etiam dabimus, vt, & cribrum Hermeticӕ Medicinӕ siue Iatrochymiӕ ac aliquot alia Authoris opuscula in lucem prodeant.   Vale.

